



**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii
Apostolici, Olim S. Congregationis Indicis Consvltoris, &
insignis Ecclesiæ Vimaransenis Thesaurij maioris, Demvm
Episcopi Vgentini, Et A Consiliis ...**

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1655

XIX. De Pœnitentiæ Sacramento præcipua quædam à Parocho notanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98569](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98569)

habilitate videtur exponendus Nicolaus I. in d. cap. à quodam, sicut intelligitur S. Ambrosius, quem ipse pro se allegat; quia Doctoris dictum est intelligendum secundum doctrinas, & auctoritates, quas allegat: ad notata per Bart. in l. non solum, §. si liberationis verba, num. 7. ff. de liberat. legata, Alex. cons. 31. n. 9. vol. 4. vurd. conf. 177. num. 21. & decis. 126. sub num. 12. Sanctus autem Ambrosius nunquam dixit valere Baptismum in nomine Trinitatis non expressis personis, seu nominibus Trinitatis, aut tantum in nomine Christi, sed sapius in lib. de sanctis Sacram. dicit hanc esse formam, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

55 Verum quamvis hic ultimus explicandi modus sit probabilis, ut supra dixi, probabilior tamen mihi videtur alius, quem adducit Azor. inst. moral. p. 2. lib. 5. cap. 5. vers. quarto obicitur, dum ait Nicolaum in d. c. à quodam, respondisse ad questionem sibi propositam an baptizatus à Pagano, vel Iudæo verum Baptismi Sacramentum suscepisset, verè baptizatum fuisse si in nomine Christi baptizatus fuit Baptismo Christi; non igitur definiuit valere Baptismum nomine Christi datum, sed ratum esse Baptismum, siue à Pagano, siue à Iudæo collatum, dummodo is Paganus vel Iudæus, baptizauerit Baptismo Christi, & non Baptismo Ioannis, vel alicuius alterius; & ideo rationem reddit Nicolaus, quia Baptismus, inquit, non est illorum, qui baptizant, sed Christi, cuius auctoritate institutus est Baptismus, & cuius virtutem habet, & ideo dicit, sicut in Actibus Apostol. legitur, significans Baptismum valere virtute Christi datum, sicut valebat cum Apostoli baptizabant in nomine Christi; hoc est cum conferebant Baptismum Christi auctoritate institutum, & eius virtute vim habentem.

56 Quarto, colligitur non benè dixisseROPACINAM Prælatum aliàs doctissimum, & mei studiosissimum, de Sacram. disput. 2. quæst. 2. puncto 4. num. 4. dum resoluit non esse validum Sacramentum baptismi sub illa forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Fi. j, & in nomine Spiritus sancti; quia baptizans sub dicta forma non ideo allerit esse plura nomina, sicut qui diceret in nominibus, sed idem essentiale Dei nomen commune tribus ter repetit, quod rectè fieri potest absque pluralitate, sicut verè dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, sed Dij nuncupari non possunt; quare Baptismum sub dicta forma celebratum esse validum resoluunt Suar. tom. 2. disp. 21. sect. 3. Egid. de Coninck d. q. 66. art. 6. num. 58. Cabrera eadem quæst. 66. artic. 5. num. 12. quos refert, & sequitur Anton. Diana resol. moral. p. 2. tract. 3. miscel. resol. 15.

Quinto, colligitur Parochum, qui in forma baptismi reliquit particulam in, dicendo, Ego te baptizo nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, validè baptizare, ut benè resoluunt Henric. in sum. lib. 2. c. 8. §. 6. Bonac. d. puncto 4. num. 16.

Contra Cardin. Tolet. in instruct. Sacerd. lib. 2. cap. 19. num. 2. Barthol. ab Angelis in examine Confess. dialog. 2. §. 115. Paul. Comitol. respons. moral. lib. 1. quæst. 6. num. 3. Valer. Reginald. in praxi fori penit. lib. 24. cap. 1. num. 30. existimantes si in forma baptismi omittatur particula in, Parochum non conficere Sacramentum, & consequenter peccare mortaliter.

Sexto, colligitur validè quoque baptizare si omittat particulam, & si, ut quidam dicunt, in forma, quæ caret coniunctione, significaretur, & inuocaretur tota Trinitas, quia remaneret verum Sacramentum; relicta enim illa particula, & remaneret adhuc integer sensus formæ; ita Card. Toler. d. loco, Comitol. d. q. 9. num. 5. Pitigian. in 4. sentent. p. 1. dist. 3. q. 2. art. 12. Egid. de Coninck. d. q. 66. art. 6. num. 61. Sed contra assentunt Viuald. in candelab. aureo tit. forma Baptismi n. 11. Conrad. in resp. casuum Conscientiæ tom. 2. quæst. 84. Barthol. ab Angel. & Valer. Reginald. citatis locis, existimantes particulam, & esse de essentia formæ.

Verum licet Parochus omittens supradictas particulas in, & si, faciat contra communem Ecclesiæ usum, tamen si omittantur sine scandalo, & contemptu, & sine falsitate significationis, non erit nisi peccatum veniale, ex adductis per Sot in 4. distinct. 3. quæst. unica art. 5. §. quod si, Rube. de Sacram. in 4. sent. dist. 3. Vasquez. in 3. p. tom. 2. disp. 142. num. 30.

CAPVT XIX.

De Pœnitentiæ Sacramento præcipua quædam à Parocho notanda.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochus habet iurisdictionem ordinariam in Pœnitentiæ foro circa omnes sue Parochiæ fideles, & censetur quoad hoc à lege approbatus.
- 2 Parochialis beneficij nomine veniunt superiora beneficia, qualia obtinent Parochi aliqui, Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi, & similes curam animarum, & iurisdictionem in hoc foro habentes.
- 3 Approbatus dumtaxat ad audiendas Confessiones censetur Parochus in ea ciuitate, vel oppido

- do, ubi sita est Parochia, non autem passim per totam Diocesim.
- 4 Parochus ad Confessiones audiendas virtute Cruciate, aut Iubilaei, an ubique sit eligibilis.
 - 5 Parochus suorum Confessiones potest etiam in aliena Diocesi, & ubique locorum audire.
 - 6 Parochus post dimissum beneficium non potest etiam tempore Iubilaei, absque noua approbatione, Confessiones audire.
 - 7 Confessiones inualide audit, qui se de facto intrinset in Parochia sine auctoritate Superioris, vel nullum titulum bonum, aut malum habuit à Superiore, nisi communi errore fuisset pro vero Parocho habitus, habens titulum putatiuum à legitimo Superiore.
 - 8 Parochus toties, quoties expedire prudenter indicauerit subdito, nullique subsit causa negandi, tenetur vel per se, vel per alium Confessionem eius audire.
 - 9 Parochus in confitendo magna cura caueat ne Sanctum det canibus, & proiciat margaritas ante porcos.
 - 10 Parochi iurisdictioni in foro penitentiali fideles subiiciuntur non solum constituentes in Parochia domicilium, siue habitationem perpetuam, sed etiam quasi domicilium, siue habitationem ad tempus non admodum breue, negotij alicuius causa.
 - 11 Habitatio bona fide, & non fraude suscepta in aliquo loco, unde quis non potest commode reuertere ad sumenda Sacramenta in loco Parochia, ubi domicilium habet, illius Parochianum efficit.
 - 12 Parochus uterque habet ordinariam potestatem erga personam, quæ in duabus Parochiis domicilium contraxit, in quibus scilicet diuersis anni temporibus habitare solet.
 - 13 Penitentia Sacramentum potest quilibet de diocesi recipere in Ecclesia Cathedrali.
 - 14 Parocho Cathedralis non licet Sacramenta administrare, vel curam exercere in aliena Parochia.
 - 15 Peregrini cui Parocho confiteri possint, ostenditur.
 - 16 Vagus debet confiteri Parocho illi in cuius Parochia reperitur tempore perceptionis Sacramenti, dummodo non vagetur ut euadat iudicium proprii Parochi.
 - 17 Parochus facultatem non à iure, sed à consuetudine habet eligendi Confessarium, quem velit ex approbatis absque licentia particulari Episcoporum.
 - 18 Fideles omnes baptizati utriusque sexus post perfectum usum rationis, qui sibi conscij sunt alicuius peccati mortalis, tenentur præcepto annuæ Confessionis.
 - 19 Peccata venialia habentes an & quando teneantur præcepto annuæ Confessionis ostenditur.
 - 20 Imperator & Reges de iure suis Presbyteris Parochialibus tenentur confiteri.
 - 21 Papa ad præceptum annuæ Confessionis obligatur quoad vim directiuam tantum.
 - 22 Regulares Ordines Minorum, ac illorum, qui cum illis in priuilegiis communicant, possunt Parochis contradicentibus secularium Confessiones audire.
 - 23 Parochi ipsi impedire non possunt Regulares ad audiendas Confessiones approbatos, quominus illas audire possint in domibus penitentium aegrotorum quando ab eis vocantur, modò eorundem infirmorum Parocho de audita Confessione eodem die certiores reddant.
 - 24 Parochus potest alteri Sacerdoti delegare potestatem Confessiones audiendi suorum Parochianorum.
 - 25 Parochus ubi præsumere potuerit subditum habere iustam causam confitendi alieno, debet ipsi petenti licentiam dare.
 - 26 Parochus si subdito iuste postulanti licentiam iniuste denegat, subditus autem sine periculo salutis, fame, &c. proprio Parocho confiteri non possit, poterit ipse absque alia facultate alieno confiteri Sacerdoti.
 - 27 Sacerdos, cui Parochus potest delegare potestatem Confessiones audiendi Parochianorum suorum, debet esse ab Ordinario ad audiendas Confessiones approbatus.
 - 28 Parochus concedens alicui subdito facultatem confitendi sua peccata alteri Sacerdoti, intelligitur de eo, qui habet exercitium curæ animarum actu, & habitu, prout habebat committens.
 - 29 Parochus excommunicatus vitandus non potest alteri Sacerdoti approbato delegare potestatem Confessiones audiendi suorum Parochianorum.
 - 30 Sacerdos delegatus tenetur credere penitenti dicenti se habere licentiam à proprio Parocho ut illi ministret Sacramentum Confessionis.
 - 31 Parochus credere debet Parochiano fide digno dicenti se fassum esse habenti legitimam licentiam ipsum absoluendi, atque ita debet illi ministrare Eucharistiam.
 - 32 Parochus non est adhibiturus fidem dicenti se adimplenisse præceptum annuæ Confessionis nisi illud legitime probet.
 - 33 Confessarij attestationi asserentis se absoluisse à censuris non est credendum in foro externo.
 - 34 Absolutio virtute Bullæ Cruciatæ licet non suffragetur in foro externo, attamen ad effectum validitatis impetrationis beneficij Ecclesiastici illa suffragatur.
 - 35 Sacerdos non habens commissionem à Parocho audiendi Confessionem, si illam habuisse communiter reperitur, & publicè penitentes audiat, ille quoad Deum excusatur ob communem errorem.

Barbosa de Parocho. Pars II.

- 36 *Confessus non approbato ex ignorantia, ob fidem quam habuit in Sacramento, quoad Deum est absolutus.*
- 37 *Subdelegare non potest delegatus à Parocho ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum, nisi solus officium suum explere non possit.*
- 38 *Vicecurati ad tempus absentes alteri Sacerdoti munus Pastorale consuetudine id permitte delegant.*
- 39 *Sacerdos auditurus Confessiones eorum, qui peste, vel simili morbo contagioso infecti sunt, quid curare debeat, ostenditur.*
- 40 *Constitutus in mortis articulo, si aliter non possit, obligatur ex lege charitatis ad confitendum coram aliis saltem ea peccata, quae neque cum scandalo, neque cum gravi sua infamia, vel simili detrimento iuncta sunt.*
- 41 *Interdicti tempore, an, & quando Parochus possit Sacramentum Confessionis administrare Parochianis, ostenditur.*
- 42 *Parochus caueat ne à casibus per Episcopum reservatis quemquam absoluat, quia nulliter absolueret, nisi in articulo mortis.*
- 43 *Parochus penitentem habentem peccata reservata Episcopo absenti, poterit absolvere à peccatis non reservatis, reservata absolutione à reservatis, cum Superior copiam sui fecerit.*
- 44 *Parochus caueat ne administret Sacramentum Pœnitentiæ per literas, aut nuncium, sed presentibus tantum, & sibi confitentibus peccata absolutionem conferat.*
- 45 *Pœnitens non solum ubi semel S. Pœnitentiariæ litteras super dispensatione aliqua in foro Conscientiæ præstavit alicui Confessario, sed etiam postquam fuit ab eo pronunciatum dispensationem esse subreptitiam, potest alium Confessarium adire.*
- 46 *Infirmus in mortis articulo constitutus si adveniente Parocho nullum peccatum confiteri possit, quid Parochus hoc casu agere debeat, ostenditur.*
- 47 *Infirmus quando inchoatam Confessionem perficere nequit, quid agere debeat Parochus, ostenditur.*
- 48 *Parochi ubique locorum existentes penitentes ad turpia, & inhonestos actus sollicitantes ab Inquisitoribus tanquam de hæresi suspecti puniuntur.*
- 49 *Parochus, qui penitentem in Confessionali osculatur, aut cum venerea delectatione manus, vel aliam partem penitentis attingit, aut ictu oculorum, vel alio signo ad libidinem provocat, incidit in penas contra sollicitantes in Confessione comminatas.*
- 50 *Parochus provocans in Confessionali masculinum ad nefandum peccatum perpetrandum, incurrit penas contra sollicitantes comminatas.*
- 51 *Parochus Confessarius sollicitans penitentem in Confessionali ad alia graviora delicta præter venerea, non incidit in penas contra sollicitantes in Confessione comminatas.*
- 52 *Filiam spirituales ratione Pœnitentiæ extra Confessiones sollicitans Parochus ad venerea, non incurrit penas contra sollicitantes in Confessione comminatas.*
- 53 *Parochus, qui carnaliter cognovit penitentem, non tenetur hanc circumstantiam in Confessione explicare.*
- 54 *Confessionis sigillum directe, vel indirecte, ante, vel post mortem confitentis sine mortali sacrilegio revelare non potest Parochus, etiam si alias integrum Regnum debeat perire.*
- 55 *Parochi revelantis Confessionem pena est depositio, & in monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam detrusio.*
- 56 *Confessario licentiam dare potest penitens loquendi de peccatis suis siue coram se, siue coram aliis.*
- 57 *Licentia data per penitentem Confessario loquendi de peccatis suis, debet esse voluntaria, expressa, & actu data; non verò sufficit præsumpta: & semel data in Confessione potest nihilominus revocari.*
- 58 *Confessario dicenti se habuisse licentiam à penitente de revelanda Confessione, an & quando credatur, ostenditur.*
- 59 *Confessionale in Ecclesia habere debet Parochus in loco aperto, & manifesto; non autem in sacellis, neque in angulis Ecclesiæ.*
- 60 *Superpellicem, & stolam de ferre tenetur Parochus secularis dum audit Confessiones.*
- 61 *Bullam in Cæna Domini penes se habere tenetur Parochus, & debet cauere ne quemquam absoluat à casibus in ea reservatis.*
- 62 *Libros quales Parochus penes se habere debeat, ostenditur.*
- 63 *Reservationem casuum Episcopalem, & Bullam in Cæna Domini Parochi penes se habere debent.*
- 64 *Regulares non possunt absolvere prætextu quorumcunque privilegiorum de casibus Sedi Apost. aut Episcopo reservatis.*
- 65 *Decreti S. Congreg. declaratio.*
- 66 *Aliud decretum S. Cong. refertur.*



REVISVS de Parochiali beneficio, & sic Parochus Sacerdos, habet iurisdictionem ordinariam in Pœnitentiæ foro circa omnes suæ parochiæ fideles, & censetur quoad hoc lege approbatus absque alia desuper sibi facienda per Ordinarium licentia, vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 23. de reformation. cap. 5. ibi, nisi aut Parochiale beneficium, &c. tradunt Anton. Fernandez in examine Theologiæ moral. part. 3. cap. 6. ex num. 3. vbi n. 4. in fine. subdit parochos habere hanc iurisdictionis ordinariam potestatem

statem à Summo Pontif. dependentem ab Episcopo, quoad culparum referuationem, Paul. Layman. in *Theologia moral.* lib. 5. tract. 6. capit. 10. num. 3. Fagundez in *quinque Ecclesie precepta.* prec. 2. lib. 7. cap. 2. Trullench. in *praxi resol. Sacrament.* lib. 4. c. 9. dub. 4. à princ. & dub. 7. num. 1. † Nomine autem Parochialis beneficii in præsentī materia veniunt superiora beneficia, qualia obtinent Parochi, aliqui Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi, & similes curam animarum, & iurisdictionem in hoc foro habentes, vt per Suarez tom. 4. de *Pœnitent.* disp. 2.2. sect. 4. n. 21. Anton. Fernandez d. p. 3. cap. 9. §. 8. n. 1. Valer. Reginald. in *praxi fori pœnitent.* lib. 1. cap. 16. q. 3. n. 190. Filliuc. in *quest. moral.* tom. 1. tract. 7. cap. 9. n. 257. Fagundez d. cap. 2. n. 41. Anton. Dianæ *resol. moral.* p. 1. tract. de *Bulla Cruciatæ*, resol. 8. in fine.

3 Approbatus tamen dumtaxat ad audiendas Confessiones censetur Parochus in ea ciuitate, vel oppido, vbi sita est Parochia, non autem passim per totam diœcesim, prout resoluunt, & à Sacra Congr. decusum referunt, Piafec. in *praxi Episcop.* p. 2. cap. 1. n. 10. p. 92. Homobon. de Bonis in *examine eccles.* p. 1. tract. 5. cap. 4. quas. 15. Fagundez d. cap. 2. numer. 35. Squillante de *privileg. Clericor.* cap. 1. n. 73. Ego ipse de *officio, & potest. Episc.* p. 2. alleg. 25. n. 8. in fine, † nisi virtute Cruciatæ, aut Iubilæi eligatur, quia tunc vbique fit eligibilis, sicut expressè tenent Suar. *dict. sect. 4. num. 18.* Valer. Reginald. in *praxi fori pœnit.* lib. 1. cap. 16. q. 3. num. 189. Silui. in *addit. ad 3. p. q. 8. artic. 5. dub. 6. concl. 1.* Homobon. de Bonis in *examine eccles.* p. 1. tract. 5. capit. 3. q. 15. Ioan. Valer. de *different. inter vtrumque forum, verb. absolutio, differ. 1. n. 16.* Villalob. in *sum. tom. 1. tract. 9. dub. 56. n. 4.* Filliuc. d. cap. 9. n. 257. Fagundez d. cap. 2. num. 36. Ludou. de San-Iuan. Vafq. Ochagauia, Arboleda, quos refert & sequitur Ioan. Sanci. in *select. disp. 44. n. 28.* Machado *en su perſetto Confessor y cura de Almas* lib. 1. p. 2. tract. 1. docum. 3. num. 2. & lib. 4. p. 2. tract. 2. docum. 7. n. 1. & 2. Quicquid dicant Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 11. num. 7. Guttier. *canon.* lib. 1. cap. 27. n. 12. Nicol. Garc. de *benefic. p. 5. cap. 8. num. 87.* Quod intelligitur quoad extraneos sibi non subditos; quia † suorum Confessiones potest ille etiam in aliena diœcesi, & vbique locorum audire, secundum Victor. de *Confess.* n. 152. Cardin. Tolet. in *instr. Sacerd.* lib. 3. cap. 13. in fine, Henric. in *sum. lib. 6. cap. 7. §. 1.* Anton. Capic. *decis.* 203. num. 15. Syluest. *verb. Confessor* 1. q. 13. Couar. *pract. cap. 11. num. 4.* Nauar. in *man. cap. 27. num. 255.* Ioan. Valer. de *differ. inter vtrumque forum, verb. Iurisdic. differ. 10. num. 6.* & *verb. sententia, differ. 1.* Azor. *instr. moral.* p. 2. lib. 3. cap. 12. q. 11. Fr. Emman. in *exposit. Bullæ Cruciatæ* §. 9. dub. 4. Zerol. in *praxi Episcopi* p. 1. *verb. Parochus*, Iacob de Graff. in *practica casuum*

Barboſa de Parocho, Pars I I.

referu. lib. 1. cap. 4. num. 57. Chamerot. de *Sacrament. tract. 7. de Confess.* dub. 14. Sanch. de *Matrim.* lib. 3. disput. 19. numer. 8. & disp. 34. numer. 3. & 4. Piafec. in *praxi Episc.* p. 2. cap. 1. numer. 10. *vers. suum*, Valer. Reginald. d. lib. 1. n. 93. & 94. Homobon. de Bonis d. tract. 5. cap. 3. *quest.* 16. Molfes. in *sum. Theolog. moralis tract. 7. cap. 15. n. 89.* Campan. in *diuers. Iuris Canon. rub. 12. c. 13. sub n. 71.* Ego ipse d. p. 2. alleg. 25. n. 18.

6 post dimissum beneficium non poterit amplius parochus absque noua approbatione accipere Confessiones, nec etiam censetur sufficienter idoneus, & approbatus ad illas audiendas tempore Iubilæi, vt per Henric. in *sum. lib. 7. cap. 12. §. 3. & 4.* Suar. d. tom. 4. disp. 28. sect. 4. numer. 20. & sect. 6. numer. 13. Valer. Reginald. d. lib. 1. num. 190. Filliuc. d. numer. 257. Fagundez d. cap. 2. n. 38. Leon. de *Iubileo* p. 2. q. 9. n. 21. Trullench. in *exposit. Bullæ Cruciatæ* lib. 1. q. 7. c. 1. dub. 1. n. 6. & in *praxi resol. Sacram.* lib. 4. cap. 9. dub. 7. n. 4. Anton. Diana d. *resol.* 8. *vers. notandum.* Quicquid dicant Fr. Emman. in *addit. ad Bullam Cruciatam* §. 9. num. 4. Villalob. d. tom. 1. tract. 27. *claus. 9. §. 1. num. 4.* Ioan. de la Cruz in *director. conscient. p. 2. de Pœnitent. quest. 5. dub. 8. concl. 4.*

7 prout nec etiam validè Confessiones audit, qui se de facto intrusit in huiusmodi beneficio sine auctoritate Superioris, vel nulum titulum bonum, aut malum habuit à Superiore, secundum Angel. *verb. Confessio, §. 2.* Nauarr. in *man. cap. 9. n. 11.* & in *cap. placuit, de Pœnit. disp. 6. num. 176.* Camerot. d. tractat. 7. de *Confess.* dub. 22. Marcel. Megal. *instr. Sacerdot.* p. 1. lib. 5. cap. 15. n. 12. in fine, Valer. Reginald. d. lib. 1. n. 98. Sanch. de *Matrim.* lib. 3. disp. 22. n. 49. Ioann. Valer. de *different. inter vtrumque forum, verb. nullitas, differ. 7. sub num. 5.* nisi communi errore fuisset pro vero paracho habitus, habens titulum putatiuum à legitimo Superiore, quia tunc Confessiones à suis subditis illi factæ, essent validæ iuxta ea, quæ suprà diximus c. 17. n. 27. cum seqq. & addit optimè Sanch. loco proxime citato, non satis esse communem errorem, sed necessarium esse titulum collatum à Superiore, quamuis inualidum ob aliquod vitium latens: & n. 50. subdit non sufficere titulum conferri à quocunque Superiore, sed conferendum esse à legitimo Superiore.

8 Non tantum semel in anno, quando subditus tantummodo obligatur, tenetur parochus ex officio Sacramentum pœnitentiæ ministrare, vt existimarunt Syluest. *verb. Confessio* 1. §. 18. Armil. *verb. Absolutio, num. 27.* Medina de *Pœnitent. quest. 41.* Valer. Reginald. d. lib. 1. cap. 7. num. 81. Sed etiam toties quoties expedire prudenter iudicauerit subdito, nullaque subsit causa negandi, tenetur vel per se, vel per alium Confessiones eius audire siue ratione festi occurrentis, aut Indul-

N 2 gentiarum

gentiarum propositarum ; siue quia tunc temporis (verbi gratia , singulis mensibus , aut decimoquarto die) solet confiteri ; aut quia habet aliqua peccata , quæ ipsius conscientiam grauant , aut aliam similem ob causam , vt benè docent Adrian. *quæst. 5. de Confess. dub. 8.* Sot. in 4. *dist. 18. quæst. 4. art. 2.* Nauarr. in *cap. consideret. num. 159.* quos refert & sequitur Anton. Fernandez in *examine Theologiae moralis. par. 3. cap. 6. §. 9. num. 24. & p. 4. cap. 15. §. 5. num. 13.* addo Azor. *instit. moral. part. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 10.* Vgolin. *de officio Episc. cap. 15. §. 8. numer. 8.* Aëgid. de Coninck *de Sacram. disp. 8. dyb. 17. num. 129.* Mostel. in *summa Theologiae moralis. tom. 1. tract. 7. cap. 22. n. 36.* Bonac. *de Sacrament. disp. 5. quæst. 7. puncto 4. §. 2. n. 23.* nouissimè Homobon in *respons. quæstionum moral. p. 2. resp. 100.* Machado d. *lib. 4. p. 2. tract. 2. docum. 10. num. 4.* Galleg. in *tract. de obligat. Parochi tempore pestis. p. 2. n. 23 2. 26. & 31.* Petr. Sot. *instit. Sacerd. tract. de officio Pastor. pag. vlt.* vbi dicit boni pastoris esse curare ne Confessio , nève Communio alicui vel indigenti , vel petenti desit , Valer. Reginald. *tom. 2. lib. 20. num. 68.* Coriolan. *de casibus reseruat. p. 1. sect. 1. numer. 2.* Petr. Hurtado *de Pœnit. disput. 10. diff. 20.* Fagundez in *quinque Ecclesiae præcepta. præc. 3. lib. 3. cap. 3. n. 1.* Ioan. Sanci in *select. disp. 47. n. 6. & 7.* vbi n. 8. *vers. nec Parochus* , subdit parochum peccare contra iustitiam , religionem , & pœnitentiæ virtutem , si nec semel etiam in anno Confessiones vellet excipere , aut Confessarij copiam exhibere , quod euenire quasi incredibile est , Ludou. à Sancto Ioanne Euangelista in *tract. de administ. Sacrament. art. 1. tit. de residentia. n. 13.*

Limitat hanc sententiam Vasq. in 3. *p. tom. 4. quæst. 93. art. 3. dub. 6. num. 3.* quando tanta frequentia Confessionis non expediret saluti , & profectui spirituali subditi ; sunt enim qui ita frequenter confitentur , vt omnino sit inutile ; quia & Confessionis virtus contemnitur , imò & aliquando expedit conscientia subditi cessare à Confessione propter scrupulorum perturbationem , quapropter diligenter inspiciendum est , quid unicuique pœnitenti conueniat

Limitat secundo Didac. Nugnus in *addit. ad 3. part. tom. 2. quæstion. 8. articul. 4. dub. 3.* & excusat parochum à mortali peccato , qui semel , aut iterum denegat confessionem petenti rationabiliter. Et Ioann. Sanc. d. *disput. 47. numer. 10.* post Suar. *de Pœnit. disp. 32. sect. 1.* tenet solum venialiter peccare parochum si semel , aut iterum nollet audire Confessiones (nulla excusante causa ; quæ valde tenuis sufficeret pro vna , vel alia vice) nisi subditus aliqua graui tentatione , aut difficultate premeretur ; vel quia longum , & laboriosum iter ingreditur ; vel quia tempus esset iubilæi ; in his enim & similibus euentibus grauius peccare

pastorem refugientem Sacramenti ministerio vacare concludit.

Limitat tertio idem Ioan. Sanc. si subditus tempore inopportuno , hora scilicet prandij , aut somni , vellet peccata sua confiteri ; aut quando potius expedit Parochus agere alia negotia talis qualis momenti , quia tunc non tenebitur Confessionem audire. Aduertant Parochi muneri suo non satisfacere alterius Confessarij copiam exhibendo , qui Parochianorum excipiat Confessiones , cum videat , & sciat eos nequaquam alium Confessarium , sed solum proprium Parochum adire velle , tunc enim tenetur per se ipsum audire subditum , vt resoluit ex Ioann. Sanc. d. *disput. 47. num. 10.*

Magna Parochus in confitendo cura caueat ne Sanctum det canibus , & proiciat margaritas ante porcos , Matth. 7. *vers. 6.* indignos absoluendo , & ne , dum alios purgat , ipse foedetur : ideò opus est vt magna prudentia , & dexteritate utatur. Cum enim sit Pater quidam spiritualis , Medicus , & Iudex ; in patris officio cauere debet , ne sit vel indulgentior , vel seuerior , quàm res postulat , ne quem consolari debet , eum acerbitate verborum affligat. In officio Medici ne medicamenta præbeat minus accommodata ad morbi , & aegroti naturam , quibus malum non sanetur , sed augeatur potius. Denique in Iudicis officio ne condemnet absolueudos , & condemnandos absoluat , sed rectam , & tempestiuam sententiam ferat. Prouerb. 17. *vers. 15.* *Qui iustificat impium , & qui condemnat iustum , abominabilis est vterque apud Deum.* Vbi verò ille audierit graua peccata , condoleat ex animo , & intimis sensibus misereatur , gemat , lachrymetur , taciteque precetur pro fratris lapsu. *Quis infirmatur* , ait Apostol. 2. Corinth. 11. *vers. 29.* *& ego non infirmior : quis scandalizatur , & ego non vror ?* Et 1. ad Corinth. 9. *vers. 19.* cum seqq. *Nam cum liber essem ex omnibus , omnium me seruum feci , vt plures lucrificerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus , vt Iudæos lucrarer ; iis qui sub lege sunt quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant , lucrificerem ; iis qui sine lege erant , tanquam sine lege essem , (cum sine Dei lege non essem , sed in lege essem Christi) vt lucrificerem eos , qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus , vt infirmos lucrificerem ; omnibus omnia factus sum , vt omnes facerem saluos.* Sic Dei infinitam misericordiam , & patientiam imitetur , & Christi Domini , qui perditissimorum hominum consuetudinem non horrebat , vestigiis insistat. Habeat ante oculos exemplum pij illius Samaritani *Luce 10. vers. 32. & 33.* qui faucij , ac miseri hominis conditionem miseratus , eius curam suscepit , vulnera alligauit , &c. Vera iustitia compassio

compassionem habet, falsa verò indignationem, vt ait Sanctus Gregorius *homil. 34. in Euangel.*

10 Parochi iurisdictioni in foro Pœnitentia-
li fideles subiiciuntur, non solum constituen-
tes in Parochia domicilium, siue habitatio-
nem perpetuam, sed etiam quasi domici-
lium siue habitationem ad tempus non ad-
modum breue, negotij alicuius causa: ita
glos. in *Clem. 1. de priuileg.* Syluest. in *sum. verb.*
domicilium, & verb. Parochia, Sanch. de Matrim.
lib. 3. dist. 23. n. 12. & in precepta Decalogi tom. 1.
lib. 4. cap. 37. num. 24. vbi monent eandem ra-
tionem esse de aliorum Sacramentorum (ex-
cepto Ordine) administratione: item de iu-
te assistendi Matrimonio, dispensandi in vo-
tis, conferendi Ecclesiasticam sepulturam, &c.
non tantum quoad incolas, sed etiam quoad
quasi incolas, videlicet scholares, milites
prædiarios, famulos, & ancillas, tamen alibi
domicilium habeant, refert Paul. Layman.
11 in *Theol. moral. lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 5.* Habi-
tatio enim bona fide, & non fraude suscepta
in aliquo loco, vnde quis non potest commodè
reuertere ad sumenda Sacramenta in loco
Parochiæ, vbi domicilium habet, illius loci
Parochianum efficit; secus tamen si fraudulen-
ter in præiudicium proprii, vel alterius Para-
chi habitationem ad tempus mutauerit, cum
fraus, & dolus nemini patrocinari debeant,
iuxta vulgaria iura. Ita Nauar. *conf. 1. de Paroch.*
in vtraq. edit. Sayr. in florib. decis. sub eod. tit. dec. 1.

12 Habet quoque Parochus vterque ordina-
riam potestatem erga personam, quæ in dua-
bus Parochiis eque domicilium contraxit, in
quibus scilicet diuersis anni temporibus habi-
tare solet: ita *argum. l. assumptio, §. ult. ff. ad*
municip. & c. 2. de sepultur. lib. 6. resoluunt Nauar.
in cap. placuit n. 77. de Pœnit. dist. 6. Henric.
in sum. lib. 6. cap. 7. §. 2. Suar. tom. 3. de Pœnitent. disp.
25. sect. 2. Aegid. de Coninck *d. disp. 8. dub. 3. in*
fine, concl. 4. Sanch. *d. lib. 3. disp. 24. numer. 5.*
Anton. Fernandez in *examine Theologiæ moralis,*
p. 3. cap. 6. §. 9. n. 6. Villalob. in *sum. p. 1. tractat. 9.*
diffic. 48. n. 3. Filliuc. *tom. 1. tract. 7. c. 7. n. 192.*
Trullench. in *praxi resolut. Sacramentor. lib. 4.*
c. 9. dub. 4. n. 2. Paul. Layman. *d. cap. 10. numer. 6.*
vers. dubitatur, & subdit hinc fieri vt personæ
huiusmodi liberum sit, in alterutra, quam ma-
lit, Pœnitentiam, & Sacramenta suscipere,
dummodo in vtroque loco magnam anni par-
tem habitare soleat; nam alioquin si recreatio-
nis tantum causa ad breue tempus in alterum
locum secedat, vnum parochum habere cense-
bitur, in cuius Parochia principaliter habitat.

13 † In Ecclesia autem Cathedrali poterit quilibet
ex diocesi recipere hoc Sacramentum,
vt per Piassec. in *praxi Episcop. p. 2. cap. 3. numer.*
24. vers. circa festum, & faciunt per me addu-

14 † de Canon. *cap. 6. à numer. 18.* † Non licet ta-
Barbosa de Parocho. Pars II.

men Parocho Cathedralis Sacramenta admi-
nistrare, vel curam exercere in aliena Para-
chia, *Sacra Congregat. Concil. in Eugubina 20.*
Septembris 1628.

Peregrini cui Parocho confiteri possint, 15
tradunt Victor. in *sum. de Sacrament. vbi de Con-*
fessione n. 155. Syluest. *verb. Confessor. 1. quest. 2.*
Nauarr. in *cap. placuit, de Pœnit. dist. 6. à numer. 62.*
vers. infertur & quartò, Vgolin. de officio Episco-
pi cap. 39. §. 4. per tot. vbi numer. 35. sic distinguit:
Aut peregrinus licentiam habet à simplici
suo Parocho peregrinandi, & in hoc casu
concludo hunc absolui non posse à quocun-
que, quandoquidem Sacerdotes alij à suo
Ordinario probati non sunt. Aut licentiam
habet à suo Episcopo, & in hoc casu pro
certo habeo ipsum absolui posse à quocun-
que Sacerdote probato ab Ordinario dice-
cesis, vbi reperitur, nam per illam licentiam vi-
detur probasse Sacerdotes alios aliorum Ordina-
riorum (modo ab ipsis Ordinariis fuerint
approbati.) Id quod locum habere sentio
non solum vbi expresse licentiam habuit,
verum etiam vbi tacite, vt potè quia scit
quosdam sic peregrinari, & consueuisse Sa-
cramenta recipere, & ob id tacendo vide-
tur consentire, præsertim quod verisimile
est, si licentia hæc petita esset, facillimè ip-
sam concessurum. Hactenus Vgolin. Vnde
iam hodie ex tacita Ordinariorum volunta-
te per consuetudinem confirmata, non so-
lum possunt aduenæ, & peregrini cuicunque
approbato Sacerdoti confiteri, sed etiam S.
Eucharistiæ Sacramentum etiam tempore
Paschali suscipere, si ad propriam Parochiam
facile accedere nequeant; ita tamen vt ad
proprius Lares reuersi annuæ Confessionis,
ac Communionis Parochis id poscentibus
testimonium in schedula exhibere debeant,
sic Nauar. in *cap. placuit 3. de Pœnit. distinct. 6.*
Emman. Sà in *aphor. verb. Confessor. numer. 2. &*
verb. Parochus numer. 7. Homobon. de *examine*
eccles. tract. 8. cap. 11. q. 4. & nouissimè in respons.
quest. moral. p. 2. resp. 49.

Vagum debere confiteri Parocho illi, in 16
cuius Parochia reperitur tempore percep-
tionis Sacramenti, resoluunt Syluest. *d. verb.*
Confessio q. 10. vbi intelligit dummodo non
vagetur, vt euadat iudicium proprii Para-
chi, Sor. in *4. dist. 18. q. 4. art. 2.* Card. Tolet. in
struct. Sacerd. libr. 3. capit. 13. n. 12. Posseuin. *d.*
tract. de officio Curati cap. 7. numer. 11. de scholari-
bus, & mercatoribus à quo absolui possint,
vide Vgolin. *d. cap. 39. §. 5.*

Parochus verò ipse cui debeat confiteri 17
dubitatur ab aliquibus, quorum illa est ma-
gis probata sententia Parochum facultatem
non à Iure, sed à consuetudine habere eli-
gendi Confessarium, quem velit ex appro-
batis, absque alia licentia particulari Epi-
scoporum,

scoporum, qui ordinarij Confessarij sunt Parochorum, & ita obtinuit praxis. Vide Nau. in cap. placuit, de Pœnit. dist. 6. n. 30. Fernandez in sum. Theologie moral. par. 3. c. 6. §. 6. n. 12. qui respondent ad cap. 2. de Pœnit. & remiss. lib. 6. Non poterit tamen concedere licentiam in sua Parochia confitendi Sacerdotibus qui non fuerint ab Ordinario approbati, Manrique quest. moral. p. 1. q. 8. Machado en su perfetto Confessor lib. 4. p. 2. tract. 2. docum. 6. n. 3.

Circa personas, quas obligat præceptum annuæ confessionis semel faciendæ suo proprio Parocho tempore Quadragesimæ, iuxta c. omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remiss. illud est adnotandum Parochianos teneri proprio Sacerdoti, id est suo Parocho, aut saltem cum eius licentia alieno confiteri semel in anno, nempe in Quadragesimali, seu Paschali tempore, ut resoluit Cardin. Bellarm. lib. 3. de Pœnit. cap. 4. ubi ait quod sunt Confessiones Parochianorum extra Quadragesimam quidem liberæ, in Quadragesima verò sub præcepto ac lege iustæ; immò cap. 13. hanc obligationem probat auctoritate Patrum, *Iam enim*, inquit, *suprà ex Greg. Nysseno, ex Ioanne Chrysost. circa Pasche celebritatem Christianos omnes ad Confessionem accedere debuisse demonstrauimus.* hoc autem dicit ratione d. cap. omnis, quo capitulo volebat Calvinus primò institutam fuisse Confessionem; cum solum, inquit Bellarm. fuerit determinata circumstantia temporis pro confitendo. Medina in Cod. de Confess. q. 14. Gregor. de Valent. disp. 7. q. 9. puncto 4. de Confess. Azori. instit. moral. p. 1. lib. 7. cap. 39. q. 7. Ludouic. Cardo de quinque præceptis Ecclesiæ cap. 8. Quamuis, inquit, præceptum Ecclesiæ indeterminate loquatur de tempore semel confitendi in anno, tamen credendum est hoc tempus esse Quadragesimam, vel tempus Paschale, & ita si quis alio tempore confessus fuerit, hoc etiam debet confiteri tempore, &c. latè Theophil. Paroch. p. 3. art. 8.

- 18 Omnes igitur baptizati utriusque sexus, postquam ad annos discretionis, hoc est, post perfectum vsum rationis peruenerint, qui sibi conscij sunt alicuius peccati mortalis præcepto huiusmodi de annua Confessione tempore Quadragesimali, vel Paschali faciendæ obligantur, d. capit. omnis, Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. can. 8. Medina in Cod. de Pœnitentia q. 6. Sot. in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. Soar. tom. 4. de Pœnit. disp. 36. sect. 2. n. 7. Bonacin. de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 4. à n. 1. nouissimè Steph. V Veims in constit. 24. ex iure antiquo desumptas, & per Concil. Trid. speciatim innouatas,
- 19 const. 23. pertot. † Habens verò venialia tantum, non excusatur absolute, sed saltem tenetur sistere se suo Parocho, ac Pastori, ut ei declararet se non esse sibi conscium vllius peccati mortalis: quia debet Pastori saltem aliquo modo constare talem non teneri præ-

cepto Confessionis, ut cum ad Communio- nem possit admittere, Pastorque tenetur illud de se affirmanti credere, nisi habeat iustissimas rationes contrarium suspicandi, Suar. d. disp. 36. sect. 2. num. 9. Hinc patet † Imperatorem, & Reges de iure suis Presbyteris Parochialibus teneri confiteri, nomine enim fidelium ipsi veniunt, gloss. verb. submittemus, in cap. Valentinianus, 63. dist. Castald. de Imperat. quest. 1. n. 25. & 26. † De Summo Pontifice quid tenendum, solet ab aliquibus in dubium reuocari: sed communis omnium ferè sententia asserit illum ad huiusmodi præceptum obligari quoad vim directiuam, non verò quoad pœnas, & vim coactiuam, ut resoluunt citati per me in collect. ad d. cap. omnis, n. 2.

Fratres Minores ex priuilegio ab Alexandro IV. sibi concessio possunt Confessiones audire, assensu Parochorum minimè requisito, ut refertur in compendio priuilegiarum, verb. absolutio quoad seculares 2. §. 1. & idem alij sequentes Pontifices concesserunt; unde colligunt Doctores Regulares Ordinis Minorum, ac illorum, qui cum eis in priuilegijs communicant, posse Parochis contradicentibus secularium Confessiones audire. Ita Fr. Emman. in explicat. Bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 145. & §. 11. num. 4. cum seq. & quest. Regular. tom. 1. q. 60. art. 4. Ludou. Miranda in man. Prælatorum, tom. 1. quest. 44. art. 14. concl. 2. Fr. Ioann. à Cruce de statu Relig. lib. 2. cap. 6. dubio 1. concl. 3. Fagund. in quinque Ecclesiæ præcepta, præc. 1. lib. 1. capit. 5. Tamburin. de iure Abbatum tom. 2. disp. 6. quest. 13. qui omnes addunt procedere hanc resolutionem, etiamsi Episcopi in licentijs Regularibus concessis dicant quod eis Parocho renitente non vtantur; quia ipsi Ordinarij Summorum Pont. hac in re concessa priuilegia tollere, aut limitare non possunt.

Nec etiam Parochi ipsi impedire possunt Regulares ad audiendas Confessiones approbato, quominus illas audire possint in domibus Pœnitentium ægrotorum, quando ab eis vocantur, modò eorundem infirmorum Parochos de audita Confessione eodem die certiores reddant, ut nouissimè censuit Sac. Congregatio Vistationis Apostolicæ, cuius tenorem ad licentiam refert Lezana in sum. quest. Regul. cap. 19. n. 32. & ante idem declarauit Sacra Congregat. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium preposita sub die 2. Iulij 1587. & ideò cum quidam Curatus apud eandem Sacram Congregat. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium prepositorum conquerebatur, quod Fratres Sancti Francisci de Observantia reformati Confessiones Parochianorum suorum ægrotantium absque eius licentia audirent, Sacra eadem Congreg. respondit in vna Senogallien. 22. Ianuarij 1616. dictis Fratribus id prohiberi non posse, dummodo

dummodo ab Ordinario prius approbati existant, & posteaquam infirmorum Confessiones audierint, statim dictum Curatum certiores faciant.

Num melius sit confiteri Parochis quam Religiosis privilegiatis, saltem ubi adimpleretur præceptum annuæ Confessionis, vidi apud nonnullos in dubium reuocari. Quidam ad fauorem Parochorum ex multis mouentur. *Primo* ne Curatus contemnatur. *Secundo* ne à dicentibus se confessos decipiantur. *Tertio*, vt agnoscat vultum pecoris sui, *Proverb.* 28. *Quarto* vt eis subitaneo aliquo morbo grauat, & loqui nescientibus succurrere possit siue per Confessionem, siue per alia Sacramenta. *Quinto*, quia pro omnibus subditis rationem in extremo iudicio reddere debet. *Sexto*, quia æquum est & utile, vt voluntaria Confessio necessariam non excludat. *Septimo*, ex testimonio Alberti, Sancti Thomæ, Benedicti XI. & multorum Sanctorum id conuenire probantium propter augmentum meriti, & diminutionem pœnæ peccatis debitæ. Hanc partem tuetur Michaël Lochmarius Ecclesiæ Patauiensis Canonicus in suo *Parochiali. cap. 4. concl. 11.* dum ait: *Curatus securius, utilius, ac iustius eligitur quantum est de se, & ceteris paribus pro Confessione sacramentali faciendâ à Parochianis, quam Frater privilegiatus, &c.*

Securius dicit, quia persona Curati est à Deo & ab Ecclesia ad hæc præcepta, Fratris autem persona solum ad hoc concessa; non enim præcipitur, nec consulitur quod quis eis confiteatur, nec tenetur etiam volentem confiteri audire, nec aliquis de populo sibi confiteri obligatur. Curatus autem tenetur audire suum Parochianum, & alia Sacramenta ministrare si offert se. Item Curatus est suis Parochianis amplius obligatus propter mutuam & correlatiuam obligationem plebis ad suos Pastores, & è conuerso, & ideo vicissim sibi magis obligantur. Vnde rationabiliter potest Parochianus de eo magis confidere quod sollicitior sit ad prouidendum suæ salutis quam Frater, qui est sibi persona extranea. Item alienis confitendo Parochiani sæpius ex hoc incurrunt contemptum, & indeuotionem contra Pastorem suum. Item tollitur erubescencia, quæ est maxima pars Pœnitentiæ, certum est enim quod amplius erubescit pandere peccata illi, quem cernit quotidie præsentem, quam vni extraneo. Item ex hoc sequitur obligationum detentio, vel diminutio, quia non Parochialibus Ecclesiis, sed Fratribus ipsis offeruntur.

Utilius dicit, quia non videtur ambiguum quod quisquam obseruando, siue sequendo præceptum, utilius sibi agit, quam præcepto

neglecto, sequendo siue obseruando licentiam & concessionem: cum sequendo solum licentiam nullus ob hoc directè mereatur, & quisque obseruando præceptum mereatur. Item confitendo Curato habet duplicis obedientiæ meritum, scilicet meritum quoad legem Confessionis, & meritum quoad legem personæ; confitendo Fratri caret altero illorum meritum. Item cum non sit Parochianis præceptum neque consilium vt Fratribus confiteantur, inde confiteri suo Curato videtur vtilius. Item persona Curati est Parochianis amplius obligata, quam Fratris persona; & amore sancto, suo Parochiano magis affecta: vnde præsumitur ex hoc quod sollicitior erit circa vtilem medicinam spiritualem sibi adhibendam, quam Frater, cum sit sibi extraneus: igitur ex illo capite vtilius eligitur. Item facilius habetur ad Curatum accessus, quam ad Fratrem, specialiter in casu infirmitatis de nocte.

Iustius dicit, quia Curato magis incumbit rationem facere de suo Parochiano coram districto iudice, quam Fratri privilegiato. Item Curatus, siue Plebanus propriè & strictè dicitur proprius Sacerdos sui Parochiani, sed Frater privilegiatus non, quia nullus de populo obligatur sibi confiteri, nec ipse tenetur audire.

Potestatem Confessiones audiendi suorum Parochianorum potest Parochus alteri Sacerdoti delegare, vt colligitur ex *d. c. omnis vtriusque sexus*, quatenus ibi præcipitur vt fideles confiteantur Sacerdoti proprio, id est, ordinario, qualis est Parochus, vel confiteantur alieno, id est, alteri non ordinario, tamen cum licentia, seu commissione proprii, vt benè explicant Gabr. in 4. dist. 17. q. 2. in princ. Paul. Layman. d. t. 10. n. 11. Azor. instit. moral. par. 2. lib. 3. cap. 12. q. 10. Imò ubi Curatus præsumere potuerit subditum habere iustam causam confitendi alieno, debet ipsi petenti licentiam dare, vt concludunt Vgolin. de officio Episcopi cap. 15. §. 8. num. 2. & Paul. Layman. dist. tract. 6. cap. 13. num. 3. in tantum quod si Parochus subdito iuste postulanti licentiam iniuste deneget, subditus autem sine periculo salutis, famæ, &c. proprio Parocho confiteri non possit, ipse poterit absque alia facultate alieno confiteri Sacerdoti, arg. tex. in cap. placuit, de pœnit. dist. 6. dum ibi permissum videtur propter ignorantiam Sacerdotis proprii, alterius iudicio, & absolutioni se submittere; ergo multò magis id licebit ob Pastoris improbitatem, & propriæ animæ, vel famæ periculum, vt resoluunt Adrian. in 4. de confess. q. 5. dub. 3. Syluest. in sum. verb. Confessor. 1. q. 6. Nauar. in d. cap. placuit, num. 144. Henriq. in sum.

lib. 6. cap. 13. §. 4. Hinc dicit Palud. in 4. dist. 17. q. 3. si à proprio Parocho inepto, & ignorante licentia petatur, vt possit alteri confiteri, & eam denegat, posset Parochianum ea non obstante alteri confiteri: quem refert Ioan. Valer. de differ. inter vtrumque forum, verb. interpretatio, differ. 6. num. 3.

Verum quamuis hæc sententia probabilis sit, contrariam tamen probabiliorē, & veriorē iudico, ex tex. in d. c. omnis vtriusque sexus ubi, Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat, cum aliter ipse illum non possit absolvere, ex doctrina S. Thom. in supplem. quæst. 8. art. 4. ad 5. vbi dicitur: Si quis ob periculum proprio Sacerdoti confiteri non possit, neque licentiam impetrare confitendi alieno, talem perinde se habere, ac si Confessarij copia destitutus esset. Quare hanc partem sustinent Sor. in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Llam. in methodo p. 1. c. 6. §. 1. Philia. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 24. Suar. tom. 4. de Pœnit. disp. 27. sect. 4. concl. 2. Petr. Nau. de restit. lib. 2. c. 4. n. 269. ad tex. verò in d. cap. placuit, respodet Suar. d. disp. 27. sect. 2. in fine, ibi sermonem esse de pœnitentia publica, quæ secundum arbitrium Sacerdotis ob scandalosa peccata imponi olim solebat; talē enim pœnitentiam ab vno Sacerdote decretam ab altero mutari, nisi manifestum errorem contineret, fas non erat.

- 27 Intelligē supradictam resolutionem de Parocho habente auctoritatem delegandi alteri Sacerdoti potestatem Confessiones audiendi Parochianorum suorum; vt procedat, dummodo ille alter Sacerdos sit ab Ordinario ad audiendas Confessiones approbatus, iuxta dispositionem Concil. Trid. sess. 23. de reform. c. 17. quia approbatio est quid iurisdictionis, quam non habent simplices Parochi. Ita docent Fr. Emman. in sum. p. 1. cap. 60. n. 2. Nugn. in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 6. Gambar. de casib. reservatis, cap. 2. n. 20. Ioan. Valer. de differ. inter vtrumque forum, verb. Parochus, differ. 4. & verb. Nullitas, differ. 5. vers. septimo, Fagundez d. præc. 2. lib. 7. cap. 2. n. 42. Ego ipse d. p. 2. alleg. 26. n. 13. Squillante de priuileg. clericor. c. 1. n. 70. vbi n. 73. post Guttier. lib. 1. Can. c. 27. n. 21. & Nic. Garc. de benefic. par. 5. cap. 8. n. 132. tenet delegatum debere esse alium Parochum eiusdem diocesis, vbi delegans habet beneficium Parochiale, vel Sacerdotale approbatum ab Ordinario loci vbi exerceri debet hæc iurisdictionis: Parochus enim concedens alicui subdito facultatem confitendi sua peccata alteri Sacerdoti, intelligitur de eo, qui habet exercitium curæ animarum actu, & habitu, prout habebat committens, Spin. in speculo testam. gl. 5. princ. n. 31. in princ. vers. similiter etiam. Stephan. Gratian in addit. ad decis. 157. num. 16. quicquid dicat Petr. Ledesm. in sum.

p. 1. vbi de sacram. Pœnitent. cap. 12. post. 5. conclus. quia approbare Sacerdotes Sacrae Confessionis ministros nullus potest præter Episcopum, vt censuit S. Congreg. Concilij, teste Armendar. ad recap. legum Nauarra, lib. 4. tit. 29. l. 1. §. 1. de confitendo semel in anno, num. 15. quem refero de officio, & potest. Episcopi, p. 2. alleg. 25. n. 12. & in collect. Bullarj, verb. approbatio. Intellige etiam dummodo Parochus non sit excommunicatus vitandus; quia cum concedere facultatem Confessiones audiendi non sit actus Ordinis, sed iurisdictionis, illam excommunicatus nec licitè, nec validè potest exercere, idè sic resoluit Suar. tom. 5. de censur. disp. 11. sect. 2. n. 15. & contra Syluest. & Armil. sequitur Squillante de oblig. cleric. p. 3. n. 14.

Intellige denique cum Filliuc. tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 242. cum seqq. & Trullench. in praxi resolut. sacram. lib. 4. c. 9. dub. 6. n. 16. cum seqq. licentiam à Parocho concedendam, vt subditus possit eligere Confessarium non sufficere interpretatiuam, vel præsumptam, & ideo resoluunt non licere Pœnitenti confiteri alieno si absens fuerit parochus per aliquod tempus nullo relicto vicario, vel si parochus moriatur, vel ita repentinè agrotet, vt non possit dare facultatem; vel etiam vbi parochus requisitus non vult hanc licentiam dare: vel quando pœnitens habet causam rationalem non confitendi cum suo paroco, & addit Trullench. vbi sup. n. 12. tamen si parochus licentiam malè neget, non haberi pro concessa.

Qui quidem delegatus tenetur credere pœnitenti dicenti se habere licentiam à proprio Parocho, vt illi ministret Sacramentum Confessionis, sicut docent Abb. in Clem. 1. de priuileg. num. 5. vbi Bonifac. num. 26. Anchar. q. 1. & Imol. n. 13. Syluest. in sum. verb. Confessor, 1. q. 17. Armil. verb. absolutio, n. 20. Vgolin. de officio Episcopi cap. 15. §. 8. num. 3. nouissimè Homobon. de Bonis in respons. quæstionum moral. respon. 50. in fine p. 2. † Sicut & parochus credere debet parochiano fide digno dicenti se confessum fuisse habenti legitimam licentiam ipsum absolueri, atque ita debet illi ministrare Eucharistiam, vt tradunt Gabr. in 4. dist. 17. q. 2. art. 3. dub. 1. Angel. verb. Confessio 3. num. 32. Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. puncto 4. n. 26. & alij, quos refert Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 37. num. 1. vers. secundo, excipientes tantum quando parochus haberet signa probabilia mendacij pœnitentis.

Sic etiam quando Confessio pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, vt est Confessio annua, non est parochus adhibiturus fidem dicenti se impleuisse præceptum, nisi illud legitimè probe, vt testatur vsus Ecclesiæ; solent enim peti schedulae Confes-

Confessionis. Ita Silu. *verb. Confessor. 1. q. 17.* Ioan. Valer. *de differ. inter utrumque forum, verb. Pœnitentia, differ. 5. in fine*, & de hac Confessione videntur intelligi Host. *in d. cap. omnis, verb. à proprio*, & ibi Ioan. Andr. *n. 12. Butr. num. 37.* & Anchar. *n. 8.* dum dicunt confitètem alieno Sacerdoti debere facere fidem proprio, prout eos intelligit Sanch. *à diff. 37. n. 2. vers. & confirmatur.* † Nullatenus tamen est credendum in foro externo attestatiōi Confessarij afferentis se absoluisse à censuris, vt videntur tenere Nauar. *in man. c. 27. num. 41.* Fr. Emman. *in comment. ad Bullam Cruciatam in addit. §. 9. n. 51.* Peña *in direct. Inquisit. par. 2. ad Concil. comment. 25.* Ioan. Valer. *d. differ. 5. in fine*, quos refert Rot. *in Oxomen. Canoniciatus 2. Martij 1622.* coram R. P. D. Merlino, vbi fuit dictum

34 quòd † licet absolutio Bullæ Cruciatæ non suffragetur in foro externo; attamen ad effectum validitatis impetrationis beneficii ecclesiastici, illa suffragatur.

35 Verum si contingeret Sacerdotem non habentem commissionem à Parocho audire publicè pœnitentes, si reputabatur communiter obtinere licentiam Parochi ad audiendas Confessiones, excusaretur pœnitens quoad Deum ob communem errorem, arg. l. Barbarius. ff. *de offic. Prat.* resoluit Ioan. Valer. *de different. inter utrumque forum, verb. Nullitas, differ. 5. num. 1.* & faciunt resoluta sup. cap. 17. à num. 27. Et idem Ioan. Valer. *verb. Parochus, differ. 4. in fine*, testatur Sacram Con-

36 gregationem censuisse † illum, qui confessus fuerit non approbato, si ignorauit Confessarium non esse approbatum, vel cogitauerit non requiri approbationem, ob fidem, quam habuit in Sacramento, quoad Deum esse absolutum, & si deinde sciuerit illum non esse approbatum, vel requiri approbationem, teneri reiterare Confessionem.

37 Non poterit sic delegatus à Parocho ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum subdelegare, per l. ult. ff. *d. officio eius, cui mandata est iurisdictio. l. more, ff. de iurisdict. omni. iudic. l. à iudice, C. de iudic.* cum similib. resoluit Ioan. Valer. *de differ. inter utrumque forum, verb. Iurisdictio, differ. 3. num. 6.* nisi solus officium suum explere non possit, quia tunc ex præsumpta voluntate delegantis concessum illi est, vt certum exercitium iurisditionis, aut Pastoralis officij, alicui etiam generatim committat, quamuis non possit integrum officium vicariæ suæ, ac proinde nec potestatem subdelegandi alteri committere, ita Sylu. *verb. Vicarius, quæst. 5.* Nauar. *in d. cap. placuit, n. 69.* excepto † si consuetudo id permittat Vicariis, & non minus, quam Parochi ordinarij, si eos ad breue tempus abesse contingat, Vicarium suo loco substituere possint; quia instituens Vicarium, in-

quit Syluest. & sciens talem consuetudinem, implicite consentit in talem substitutionem; ita Adrian. *in 4. de Confess. q. 5. dub. 2.* Squillante *de priuileg. cleric. cap. 2. num. 35.* Ioan. Chapeauill. *in tract. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, cap. 6. q. 2.* vbi subdit id vbi-que obseruari, vt Vicecurati ad tempus absentes alteri Sacerdoti munus Pastorale delegent, idque maxime pestis tempore obseruandum esse.

Aduerte quòd Sacerdos parochialis Curatus quantumcunque simplex, ratione curæ sibi commissæ potest in adiutorium eiusdem curæ assumere sibi socium ad tempus, quemcunque Religiosum, seu alium sine cuiusque Superioris licentia, putà in Quadragesima, qui illum iuuat in Sacramentis conferendis, vel officio prædicandi, dummodo sibi constet de eius sufficientia: nam ex quo tales sunt ritè ordinati, possunt illa facere, sicut Curati, nec deficit in eis nisi materia, scilicet populus: vnde si parochus præbet illi materiam, poterit exercere, Franc. de platea *de excomm. §. 19. in fine n. 9. tom. 14. fol. 353.* quem refert, & sequitur Steph. Gratian. *discept. forens. tom. 2. cap. 399. n. 9. & 10.*

Quanta verò sit obligatio Confessarij Curati in ministrandis Sacramentis illis, qui peste infecti sunt, diximus suprà cap. 17. à n. 12. vers. quinto est notandum; Nunc verò animaduertendum duxi Sacerdotem audiendum Confessiones eorum, qui peste, vel simili morbo contagioso infecti sunt, ante omnia curare debere, vt si fieri possit, in loco ipse libero, seu aëre non infecto constitutus sit: quomobrem etiam ipsi infirmi obligati sunt, vt è cubiculo, aut domo ad confitendum egrediantur, vel ad fenestram, parochus foris stante, portentur, si id sine graui eorum incommodo fieri possit; ita Ioan. Chapeauille *d. tract. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, cap. 1. q. 9. & cap. 3. q. 29.* proderit etiam si pestis tempore fideles pro concione admo- neantur, vt qui sani sunt ad Sacram Confessionem maturè veniant in Ecclesia audienti. At verò si infirmus egredi, vel loco suo moueri non possit, neque etiam tam alta voce confiteri, vt è loco distanti audiri queat, seu propter suam infirmitatem, aut ob simul discumbentes, in tali casu parochus communiter loquendo accedere debet, & pœnitentes in secreto audire, si tamen timeat periculum contagionis, vt non audeat cum pœnitentibus diu morari, poterit eos rogare, vt statim dicant quædam grauiora, aliis omisiss, quæ propter moralem impossibilitatem audiri nequeant, sicuti ex quorundam Recentiorum non improbabili sententia docent Zambran. *de casibus in articulo mortis, cap. 4. dub. 6. num. 12.* Bass. *verb. Parochus,* Machado

Machado *en su perfetto Confess. libr. 4. part. 2. tract. 2. docum. 11*. Chapeauille *d. cap. 3. qu. 26. in fine*. Vel à longè itans poterit hortari hominem, vt clara voce dicat saltem ea peccata, quæ sine graui sua infamia, aliòve detrimento potest, quia ordo charitatis exigit vt pœnitens minus detrimentum famæ suæ posthabeat maiori detrimento, seu iacturæ vitæ, quam Confessarius passurus est, præsertim si Parochus fortasse vnicus sit in eo loco, & pluribus aliis necessarius existat. † Constitutus enim in mortis articulo, si aliter non possit, ex lege charitatis erga se ipsum obligatur secundum probabilem Doctorum sententiam, ad confitendum coram aliis saltem ea peccata, quæ neque cum scandalo, neque cum graui sua infamia, vel simili detrimento iuncta sunt, sicuti docent Suar. *tom. 4. de Pœnit. disput. 36. section. 6*. Zambran. *d. dub. 6. n. 25. cum seqq.* Chapeauille *dict. cap. 3. quas. 28*. Aduertant tamen in articulo mortis constituti, quod possunt absolui à quibusuis casibus & censuris referuatis per simplicem Sacerdotem, etiam in præsentia proprii Parochi, quia simplices Sacerdotes pro articulo mortis pares sunt illi quoad iurisdictionem; ita Emman. Sà *in aphorism. expurgatis, verb. Absolutio, num. 3*. Ochagaui de *Sacrament. tract. 2. de Confess. Sacrament. q. 35. num. 4*. Philib. Marchin. *in tract. de bello diuino, seu peste p. 3. cap. 3. num. 10. & seq.* Diana *resolut. moral. p. 1. tract. 5. resol. 5. & p. 4. tr. 4. resol. 161*, vbi reprobatur Turrian. *in select. disputat. cent. 2. censure Theolog. dub. 77*. Et sic absoluti in mortis articulo à censuris Superiori referuatis si euaserint, tenentur vt quamprimum potuerint sistere se Superiori, non vt iterum absoluantur, sed vt obtemperent mandatis eius, & nisi fecerint reincident in easdem censuras, vt habetur *in cap. eos qui, de sentent. excom. in 6*. Ita Guilielm. Mercer. *in 3. p. D. Thomæ q. 9. art. 6*. Diana *d. p. 4. tract. 4. resol. 199*.

Interdicti tempore, an, quando, & quomodo Parochus possit sacramentum hoc suis administrare Parochianis, huius loci est investigare. Breuiter dico, quod attento iure Decretalium, de quo *in c. non est vobis, de sponsalib.* concedebatur tempore illo Sacramentum hoc morientibus tantum, & infirmis: sed postea nouiori Iure Sexti, de quo *in c. alma mater, post princ. vers. qua verò, de sent. excomm. libr. 6*. sanis etiam conceditur; ratio redditur ibi, quia propter prouidentiam, & facilitatem hominis ad peccandum summe necessaria est: cum duplici tamen limitatione, prima est, vt recipiens non sit excommunicatus, excepto mortis articulo; secunda dummodo non sit aliquo modo in causa culpabilis, ob quam latum est interdictum, aut non sit specialiter interdictus: vide Cou. *d. c. alma mater, p. 2.*

§ 3. num. 1. Henric. *in sum. lib. 13. c. 45. §. 1. Vgol. de censuris tab. 5. c. 7. §. 6*. Sayr. *cod. tract. lib. 5. c. 7. Suar. tom. 5. disp. 33. sect. 1. à num. 13*. Bonac. *in simili tract. disput. 4. punit. 2. §. 3. ex n. 1*.

Circa casus per Episcopum referuatos aduertat Parochus ne ab illis quemquam absoluat, quia nulliter absolueret, nisi in articulo mortis, Concil. Trident. *sess. 14. de reform. capit. 7*. At verò vbi grauis, & insolita plurium peccatorum in sua diœcesi referuatio facta fuerit, sunt qui affirmant eam non tantum illicitam, sed etiam inualidam, itaut à Parochis obseruari non debeat, sicuti existimant Sor. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 5*. Finell. *de casibus referuatis cap. 4. num. 4*. Henric. *in sum. lib. 6. cap. 14. §. 3*. Sed ego puto melius conuenire eos sui Superioris sententiæ acquiescere; supplicando tamen vt illam moderetur: quia licet Episcopi moneantur per Concil. *d. capit. 7*. vt concessa sibi potestate vtantur, non tamen inde sequitur si quid illicitum ab eis fiat, etiam inualidum esse, cum hinc grauior occasio schismatis oriri possit, facile opinantibus Parochis Episcopum potestatis suæ limites excessisse. Vide Syluest. *in sum. verb. casus q. 5*. Suar. *tom. 4. de Pœnit. disp. 29. sect. 4*.

Poterit tamen Parochus pœnitentem habentem peccata referuata Episcopo absenti, absolvere à peccatis non referuatis, referuata absolutione à referuatis, cum Superior copiam sui fecerit. Ita Henric. Gandau. *quodl. 1. q. 27*. Caiet. *in sum. verb. Confessio, condit. 10*. Angel. *cod. verbo 5. §. 9. Sor. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5*. Paul. Comitol. *respons. moral. lib. 1. q. 29. num. 2*. Ioan. Valer. *de different. inter vtrumque forum, verb. Pœnitentia, differ. 10. num. 1*. vbi addit debere Pœnitentem tam referuata, quam non referuata Parochus confiteri, quia quoad eum debet esse integra Confessio, quamuis quoad Superiorem possit esse diminuta, & in fine post Comitol. *citato loco num. 6*. ait supra resoluta locum tantum habere in reservationibus inferiorum rapâ, & vbi non est annexa aliqua excommunicatio ipsi peccato referuato; aliàs secus: quia vbi adest excommunicatio (vt habetur in omnibus reservationibus Sedis Apost.) tunc non potest inferior vllatenus absolvere etiam à non referuatis quod & limitant Sor. *d. art. 5. ad 2. & idem Ioan. Valer. d. verb. Pœnitentia differ. 9. vers. preterea fallit sexto*, in casu grauissimi scandali si non communicaret pœnitens.

Aduertat quàmmaximè parochus ne administret hoc Sacramentum pœnitentiæ per literas, aut nuncium; sed præsentibus tantum, & sibi confitentibus peccata absolutionem conferat: quemadmodum Clemens VIII. *in generali Congregat. S. & vniuersalis Inquisitionis* decreuit in hæc verba: *Die 20. Iuny, anno 1602. in generali Congreg. S. vniuersalis Inqui*

Inquisitionis habitæ in Palatio Apost. in monte Quirinali coram S. D. N. D. Clemente diuina providentia Papa VII. proposita questione virum liceat per litteras, seu per internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, Sanctitas sua auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis, & Reuerendissimis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus maturè, ac diligenter considerata, hanc propositionem, videlicet licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, & prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur; ne ve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiuè tractauerit, nisi forsan impugnando, seu ad praxim directè, vel indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ quam ipso facto incurrat, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque dignitate fulgente, etiam S. R. E. Maiori Penitentiario; nisi à pro tempore existente Romano Pont. absolui, alijs etiam penis pro arbitrio infligendis subiacent. Referunt Ioan. Valer. d. verb. Penitentia, different. 9. in fine, Fernandez in examine Theolog. mor. p. 3. cap. 6. §. 6. num. 29. Bonacin. de censur. extra Bullam Cænæ disp. 2. q. 3. punct. 33. & multis comprobant Doctores citati per Galleg. in tract. de Parochorum obligat. tempore pestis, p. 2. n. 56. cum seqq.

In casu occurrenti illud duxi adnotandum, quod Nau. conf. 8. de officio deleg. Sayr. in floribus decis. sub eodem tit. decis. 8. Marc. Anton. Genuè. in pract. Archiep. Neapol. cap. 21. num. 9. existimant penitentem, postquam vnum Confessarium elegit, cui acceptanti sacræ Penitentiariæ litteras super dispensatione aliqua in foro Conscientiæ ei commissa præsentauit, eo dimisso alterum eligere non posse, etiam si primò electus consentiat, siquidem iurisdic-tio delegata delegantis iurisdic-tio est, idè-que ad ipsum delegantem, cuius illa est, & non ad partes, vel ad iudicem electum eam extendere pertinet. Sed melius Salas de legib. disp. 30. sect. 17. num. 124. Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 27. num. 40. Guttier. in simili tract. cap. 125. num. 18. Valer. Reginald. in praxi fori penitent. lib. 13. num. 214. Aloys. Ricc. in decis. Curie Archiep. Neapol. par. 4. decis. 34. docent non solum vbi semel litteras præsentauit alicui Confessario, sed etiam postquam fuit ab eo pronunciatum dispensationem esse subrepticiam, posse impetrantem alium Confessarium adire; qui forè sit in ea opinione, vt valeat rescriptum, ac posse eundem Con-

fessarium melius re inspecta dispensationem illam mutata sententia exequi, licet si semel dispensauit, non possit recantare palinodiam; sicut quando semel absoluit, aut commutauit votum. Et mouentur ex eo, quia cum ea commissio sit facta in foro conscientiæ, sequitur eiusdem fori naturam, quæ est vt pœnitens non adstringatur acquiescere sententiæ vnius Confessarij, sed quod possit adire alium, atque possit idem Confessarius sententiam mutare, Sapientis enim est mutare consilium ex iusta causa, l. nonnunquam, vbi gloss. ff. de collat. honor. Scacc. de appellat. q. 17. limitat. 47. memb. 1. n. 33.

Quando Parochus vadit ad infirmum in mortis articulo constitutum ad audiendam eius Confessionem, potest euenire, vt ipse infirmus adueniente Parocho nullum peccatum confiteri possit, vel inchoatam Confessionem sacramentalem perficere nequeat, his duobus casibus quid facere debeat breuiter exponam. In primo igitur dico, quod infirmus huiusmodi, qui vel Sacramentum Pœnitentiæ expresse desiderauit, vel saltem implicite, dum signa generalia Pœnitentiæ edidit, etsi nullum peccatum in particulari confiteri possit, à Parocho absolendus est, ea tamen manente obligatione, vt cessante impedimento peccata mortalia specificè subiiciantur Clauibus. Ratio est, quia Confessio qualiscunque etiam generalis peccatorum ex animi dolore profecta, potest esse sufficiens materia Sacramentalis absolutionis; siquidem specifica, & particularis peccatorum explicatio absolute non est de necessitate Sacramenti, sed per se directè solum de necessitate præcepti diuini, quod pœnitentem non obligat, nisi quatenus seruari potest. Quare ita docent S. Antonin. p. 3. tit. 10. c. 2. Siluest. in sum. verb. Confessor. 3. n. 16. Soar. tom. 4. de Penit. disp. 23. sect. 1. n. 5. Henriq. in sum. lib. 6. c. 10. §. 7. Card. Tolet. in instruct. Sacerd. lib. 3. cap. 8. n. 2. Vasq. in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. Zambrà. de casibus in articulo mortis cap. 4. dub. 2. sect. 3. Posseuin. de officio Curati cap. 7. n. 86. Fagundez in quinque Ecclesiæ præcepta, præc. 2. lib. 3. cap. 1. num. 16. qui omnes non aliter permittunt Pœnitentiæ Sacramentum morituro obmutescenti, aut phrenetico ministrari, nisi antea Sacramentalem absolutionem verbis, aut signis petiuerit; quare non satis est aliquem ante mortis periculum, vel in ipso periculo signum aliquod pietatis, vel etiam pœnitentiæ edidisse; nisi talis manifestatio interni doloris directæ fuerit ad Sacramentum pœnitentiæ, siue absolutionem Sacramentalem à Sacerdote petendam, vt benè notauit Suar. d. disp. 23. sect. 1. num. 13. Ratio autem est manifesta, quia Sacramentalis absolutio ministrari non potest nisi

nisi adsit materia Sacramenti, quæ est Confessio, siue accusatio sui coram Sacerdote tanquam iudice, necesse, inquam, est ut pœnitens se ipsum de peccatis accuset ea intentione, ut per sententiam Sacerdotis in foro interno absoluat. Signa autem pœnitentiæ, quæ præsentis mortis periculo ab infirmis eduntur, conferri debent ad Sacramentalem Confessionem directâ, cum in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare soleant. Quapropter licet infirmus in phrenesim lapsus absolui non possit, quamuis cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundum morem pulsauerit, aut sublatis in cælum oculis dixerit, *Miserere mei Deus*; tamen si talia signa edidit mortis vicinus, cum plura verba proferre non posset, præsumptio plerumque fieri potest quod Sacramentalem à Sacerdote absolutionem petiuerit. Sed etsi consideratis circumstantiis, & examinatis iis coram quibus talia signa edita sunt, res dubia esse videatur, absolutio tamen conferri poterit sub conditione, si talis materia Confessionis sufficiens est ad absolutionis ministrationem. Colliguntur hæc ex Possuin. d. cap. 7. n. 87. cum segg. Zambran. d. cap. 4. dub. 2. sect. 4. Chapeauill. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, c. 3. q. 10. & 11.

47 In secundo verò casu quando inchoata Confessio sacramentalis perfici nequit; aduertendum est quod si pœnitens inter confitendum in phrenesim incidat, vel periculum sit ne mox moriatur, debet statim absolui, & postea si superviuat, aliqua peccata audienda, & absolutio denuò conferenda est: ita Victor. de Confess. n. 164. Sot. in 4. disp. 18. q. 2. art. 5. vers. difficultates, Emman. Sà in aphorismis, verb. Absolutio n. 9. Suar. d. sect. 1. n. 2. Possuin. d. cap. 7. n. 89. ubi dicit Curatum debere absolui cum cautela, in quantum possum, & indiges, pœnitentem, qui dicto aliquo peccato, vel peccatis, amittit loquelam, & modum perficiendi Confessionem, quamuis ipse Curatus cognosceret illum multa debere restituere, vel quia de illis confessus est, vel quia est publicus usurarius, aut est in publica excommunicatione, & non possunt imponi, quæ veniunt imponenda: & num. 87. affirmat se fuisse semel vocatum ad excipiendam Confessionem infirmi, qui poterat loqui, sed ægrè, & dicto vno peccato per horam integram non potuisse aliud ab eo elicere; quo casu ait talem absolvendum esse cum conditione in quantum potest, & indiget, si ille verè non poterat loqui, nec respondere per nutus. Si casus occurrat quod Parochus recipiat promissionem ab eius Parochiano vulnerato, quod non exponet querelam contra vulnerantem, valet ista promissio, ut tenet Marc. Anton. Genuen. in practicab. q. 667.

Inter graues, & immanes excessus, quos in administratione huius Sacramenti Pœnitentiæ potest Parochus committere, duo sunt horribiliores, quos maxime cauere debet, ne dicam exhorrescere; *Primus* est, sollicitatio pœnitentis ad turpia, & inhonestos actus, contra quos quidem sollicitantes tanquam de hæresi suspectos inquiri præceperunt Pius I V. sua Constit. incip. Cum nuper, & Paulus V. alia Constit. incip. Dilecte fili, sub. Dat. 16. Septembris. 1608. & nouissime illorum Constitutiones confirmavit, ampliauit, & extendit ad omnes ubique locorum existentes Gregor. X V. sua Constit. incip. Vniuersi Domini gregis, sub. dat. Romæ 30. Augusti 1622. ubi grauib. pœnis eos afficit his verbis: *Et quos in aliquo huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repperint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis suspensionem ab executione Ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuam inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiue, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliisque penas decernunt, eos quoque si pro delicti enormitate grauioribus penas meruerint, debita præcedente degradatione Curia seculari puniendos tradant.* de quibus meminit me citato in hoc loco Leçana d. c. 19. n. 33. Peirinis tom. 2. priuil. Minim. in const. 4. Greg. X V.

In quas pœnas omninò incidit Parochus 49 qui pœnitentem in confessionalis osculatur, aut cum venerea delectatione manus, vel aliam partem pœnitentis attrectat, au ictu oculorum, vel alio signo ad libidinem prouocat, non ita si interius delectetur, aut voluntariè polluat, scemina non aduertente, quamuis hoc illi extra Confessionem aperiatur: ad Bonacin. variar. tract. disputat. 6. de onere, & obligatione denunciandi, puncto 3. n. 3. ubi num. 4. ampliat siue pœnitens consenserit prouocationi, & sollicitationi Confessarij, siue non: & num. 5. pariter ampliat, siue Parochus Confessarius tentauerit allicere verbis expressis, siue tacitis, ut si ipse pœnitentem scemina laudauit à venustate, pulchritudine, morum elegantia, & his similibus, quibus scemina facili negotio subuertitur, & ad libidinem prouocari solent: & num. 19. ampliat etiam ad Confessarium, qui induxit pœnitentem ut filiam sibi prostituat, seu aliâ inducat ad peccandum secum, vel cum alio, quia in Constitutione Gregorij interdicuntur sermones, siue tractatus inhonesti: & n. 16. extendit ad ¶ prouocantem masculum ad nefandum peccatum perpetrandum, quod clarè colligitur ex dicta Constit. Gregoriana, ibi, *qui personas, quacumque illæ sint, ad inhonestas, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda, &c.* quamuis ante illam id non esset ita clarum, quin Param. de origine s. Inquisitionis

fictionis libr. 3. quæst. 10. n. 96. non sine fundamento tenuerit contrarium; licet eius opinio in hoc communiter reprobata extiterit, & omnes ferè alij Doctores hac de re scribentes eandem opinionem sustinuerint, (quam postea dicta Gregoriana Constitutio expresse infinuauit esse tenendam) ut videre est per Fr. Emman. quæst. Reg. tom. 1. q. 59. art. 4. & tom. 2. q. 27. art. 3. Iacob. de Graff. conf. 1. à n. 45. de cogn. spir. Sanctarel. in tract. de hæresi, c. 45. Barthol. Gipt. de casibus reſeruatis, cap. 14. n. 4. Molfes. in Sum. Theolog. moral. tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 34. D. Roderic. à Cunha in tractat. de sollicitantibus mulieres in Confess. q. 6. à num. 6. Portel. in dubiis Regul. verb. sollicitare, n. 5. in fin. Hieron. Roderic. in compend. quæst. Regul. resolut. 131. n. 2. Coriolan. de casibus reſeruatis, p. 1. sect. 2. art. 22. num. 3. Scortia in Bullas Pontificias, epit. 77. theorema. 197. & post dictam Constitutionem Gregorianam Nald. in addit. ad Sum. verb. Confess. n. 31. Laur. de Peirinis in Constit. sui Ordinis Minorum, tom. 2. Constit. 4. Greg. XV. §. 5. numer. 14. Venero in examine Episcoporum, lib. 5. cap. 17. n. 19. Belloch. de casibus reſeruatis, p. 2. q. 7. num. 28. & q. 10. num. 51. Anton. Diana resolut. moral. p. 1. tract. 3. resolut. 12.

51 His verò pœnis non subiicitur Parochus Confessarius sollicitans ad alia grauiora delicta præter venerea, quia supradictæ Pontificiæ Constitutiones loquuntur de sollicitantibus ad inhonestas; nomine autem inhonestorum per antonomasiam, & ex communi loquendi vsu intelliguntur peccata carnalia, ita Barthol. Gipt. d. tract. de casibus reſeru. capit. 14. numer. 5. Illustriss. D. Roderic. à Cunha d. tractat. de sollicitantibus mulieres in confessione, q. 8. num. 6. & 7. Sanci. in selectis disp. 11. num. 23. Sanctarel. de hæresi, c. 46. nu. 1. Anton. Diana d. tract. 3. resolut. 20. & p. 4. tract. 5. resolut. 17. Sousa de Confessar. sollicit. tract. 1. c. 13. n. 4. & seq. Homobon. de Bonis in consult. cas. Conscient. vol. 2. p. 5. resp. 130. † Nec etiam in eisdem pœnas incidit Parochus sollicitans ad venerea extra Confessionem filiam suam spiritualem ratione pœnitentiæ, si sollicitauit alia occasione, quàm occasione, seu prætextu, vel simulatione Confessionis; ut si mulierem transacta Confessione domi suæ visitauit, ut eam prouocaret ad peccatum; aut si eam litteris, vel internuntiis ad libidinem prouocauit; quia præfatæ Constitutiones loquuntur de personis, quæ ad venerea sollicitantur, aut alliciuntur in Confessione, vel prætextu Confessionis. Ita Iacob. de Graff. in aureis decis. p. 1. lib. 2. c. 48. n. 16. & de casibus reſeru. lib. 2. c. 12. n. 29. Fr. Emman. d. q. 27. art. 2. Sanctarel. de hæresi cap. 44. n. 15. Bonac. ubi proximè, n. 21. Illustriss. D. meus Roderic. à Cunha in d. tractat. de sollicitantibus mulieres in Confessione, q. 5. num. 15. Nec item easdem pœnas incurrunt qui ministrantes Baptismum,

Barbosa de Parocho. Pars II.

Eucharistiam, vel Matrimonium fœminæ, ipsam sollicitarent, Sanctarel. in tract. de hæresi, c. 46. n. 5. Bonacina de onere denunciandi, disp. 6. puncto 3. num. 14. Lezana d. c. 18. n. 34. Ioan. Sanc. in select. disp. 11. n. 42. Castr. Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 1. n. 4. Dianap. 4. tract. 4. resolut. 16.

Sed an Parochus, qui carnaliter cognouit pœnitentem, teneatur dictam circumstantiam in Confessione explicare? Quæstio est dubia, in qua vna sententia ait teneri, quia hæc circumstantia mutat speciem peccati, est enim speciale sacrilegium ratione vinculi similis cognitioni spirituali ex Sacramento contracti. Ita Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 55. per tot. & præcipue num. 4. Megala in p. 1. lib. 5. cap. 12. n. 16. Nugn. in addit. ad 3. p. tom. 2. quæst. 9. art. 2. dub. 3. in fine, Illustriss. D. meus Roderic. à Cunha in d. tractat. de sollicitantibus mulieres in Confessione, quæstion. 5. numer. 53. Homobon. de Bonis de examine Ecclesiastico, part. 1. tractat. 5. cap. 12. quæst. 75. Raguc. in lucerna Parochorum, de Sacrament. Pœnitentiæ, quæstion. 43. Fagundez in quinque Ecclesiæ præcepta, præc. 2. lib. 4. cap. 3. num. 33. Sed contraria sententia multò probabilior est, quia hæc circumstantia non mutat speciem, sed notabiliter tantum aggrauat peccatum, ut benè notant. Fr. Emman. in sum. tom. 1. cap. 209. num. 1. Vasq. in 3. p. tom. 4. quæst. 91. art. 1. dub. 2. num. 20. tum quia incestus committitur inter cognatos, Sacramentum autem Confessionis non inducit propriè cognitionem spiritua-lem, cum in nullo iure expressa reperiatur, vnde caput, omnes, 30. quæstion. 1. intelligitur de incestu metaphorico, & improprio, quatenus Confessarius dicitur pater spiritualis, consequenter peccatum carnis commissum cum pœnitente extra Confessionem, non habet malitiam incestus necessariò explicandam in Confessione. Ita Azor. instit. moral. part. 3. lib. 3. cap. 9. quæst. 5. & 9. Petr. Fay in addit. ad 3. part. q. 9. art. 2. disp. 8. concl. 2. Bonac. de Matrim. quæst. 5. puncto 16. num. 7. Sanci. in præc. disputat. disp. 11. n. 3. cum seqq. Basil. Ponti. de impedim. Matrim. cap. 23. §. 2. vers. atque, & hanc opinionem probabilem dicunt Petr. de Ledesm. in sum. p. 1. de Sacram. vbi de sacram. Pœnitent. c. 19. concl. 6. Laurent. à Portel. in addit. ad dubia Regul. verb. eligenda n. 3. Sed qua pœna plectendus sit, tradunt Bernard. & Salzed. in præc. c. 85. in nouiss. edit. Aloys. Ricc. in praxi rerum fori eccles. decis. 376. in 1. edit. aliàs resolut. 318. in 2. edit. Grilenzon. consil. 168. per tot.

Secundus grauis, & immanis excessus Parochi in administratione huius Sacramenti, est sigilli Confessionis violatio, cuius obligatio strictissima est, ut nullo vnquam casu vilius boni consequendi, aut mali euitandi causa, quoduis, vel minimum peccatum, aut si quid aliud sub sigillo Confessionis

O nis

- nis cadit, directè, vel indirectè; ante, vel post mortem confitentis, sine mortali sacrilegio reuelari possit; etiam si aliàs integrum Regnum debeat perire, vt per Henriquez *in summ. libr. 6. capit. 19.* Ægid. de Coninch *de Sacrament. & censur. tom. 2. disputat. 9. numer. 19.* Valer. Reginald. *in praxi fori pœnit. libr. 3. numer. 12.* Torreblanc. *in tract. de magia, lib. 4. de criminis punit. capit. 7. de sigillo Confessionis*, Paul. Layman. *in Theolog. morali, lib. 5. tract. 6. c. 14. num. 1.* Bonacin. *de Sacrament. disput. 5. quæst. 6. sect. 5. puncto 4.* Fernandez *in examine Theologie moral. p. 3. cap. 6. §. 9. num. 27.* Fagundez *in quinque Ecclesia præcepta, præc. 2. lib. 6. cap. 1. †* Pœna verò talis reuelantis est depositio, & in monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam detrusio, vt probat text. *in d. cap. omnis & unusque sexus, in fine*, Iacob. de Graff. *in aureis decis. p. 1. lib. 1. cap. 23. ad fin. n. 45.* Menoch. *de arbitr. casu 474. n. 9.* Zerol. *de Pœnit. cap. 20. quæst. 5.* Fernandez *d. §. 9. n. 27.* Onuphr. *de sacro sigillo, sect. 5. q. 2. concl. unica*, Torreblanc. *d. cap. 7. num. 27.* Fagundez *præc. 2. lib. 6. cap. 7. num. 20.* Lezaname citato in hoc loco *d. c. 19. num. 42.* Bonacin. *d. disp. 6. sect. 5. punct. 1. num. 3.* Trullench *in praxi resol. Sacram. libr. 3. capit. 8. dub. 3. num. 11.*
- 55 Verum vnicus casus est, quo ratio, & obligatio Sacramentalis sigilli penitus cessat, si videlicet Pœnitens Confessario licentiam de loquendi de peccatis suis, siue coram se ipso, siue coram alijsita docent Adrian. *in 4. de Confess. vbi de sigillo, §. sed probabilior*, Ioann. Medina *in Cod. de Confess. in cap. de licentia confitentis ad reuelandum Confessiones*, Syluest. *verb. Confessio. 8. n. 5.* Couar. *de sponsalib. p. 2. cap. 8. §. 12. n. 11.* Viuald. *in candel. aureo, tit. de sigillo Confess. n. 13.* Salzed. *ad Bernard. in pract. cap. 102. vers. vnus tamen casus, in nouiss. impress.* Mascard. *de probat. concl. 377. n. 9. & 10.* Henriq. *d. lib. 6. cap. 23. §. 1. lit. D. Cened. ad Decretal. collectan. 60. n. 2.* Valer. Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 3. n. 55. cum seqq.* Coriolan. *de casib. reservatis p. 1. sect. 2. art. 15.* Torreblanc. *d. c. 7. ex n. 19.* Suar. *tom. 4. de Pœnit. disp. 33. sect. 5. n. 6.* Sanch. *in præcepta decalogi, tom. 2. lib. 6. c. 18. n. 43.* Paul. Layman. *d. c. 14. n. 14.* Fernandez *d. p. 3. c. 6. §. 7. vers. dico undecimo*, Fagundez *d. præcepto 2. lib. 6. cap. 1. n. 14. cum seqq.* Trullench. *d. c. 8. dub. 4. n. 3. †* Hæc autem licentia debet esse plenè voluntaria, atque expressa, & actu data; non verò sufficit præsumpta, vt benè obseruant Valer. Reginald. *d. lib. 3. n. 59.* Ægid. de Coninch. *d. disp. 9. n. 22. & 23.* Bonac. *de Sacrament. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. puncto 4. num. 9.* Paul. Layman. *d. n. 14. vers. sunt verò.* Et semel data in Confessione, potest nihilominus reuocari, eò quod notitia illa semper maneat Sacramentalis; ideòque eius conditionis, vt Confessario nunquam vti liceat, nisi confitens velit: secus est si extra

Confessionem pœnitens licentiam dedit, tunc enim definit esse notitia, & secretum Sacramentale, sicut rectè docent Suarez *dict. disput. 33. sect. 5. num. 7.* & Paul. Layman. *d. c. 14. num. 16.*

An, & quando credatur Parocho Confessario dicenti se habuisse licentiam à pœnitente de reuelanda Confessione? Quæstio est admodum controuersa, in qua tres casus sunt distinguendi: vel pœnitens est mortuus, & nemo contradicit; vel viuus adhuc, & obiicit Sacerdoti reuelationem suæ Confessionis; vel tertius opponit Sacerdotem reuelasse alterius Confessionem. In primo casu, mihi dicendum videtur, dicto Sacerdotis fide digni asserentis mortuum, seu morientem dedisse sibi licentiam de reuelanda Confessione, credendum, secundum Viui. *tom. 1. commun. opin. lib. 1. tit. 17. num. 7. vers. sed hoc fallit, pag. 204.* Menoch. *de arbitr. casu 414. n. 8. & de præsumpt. lib. 6. præf. 95. n. 5.* Mascard. *de probat. concl. 377. num. 9. & concl. 982. num. 4.* Fr. Emman. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 35. art. 1.* Valasc. *conf. 73. num. 1.* In secundo casu est resoluendum, standum esse Sacerdotis iuramento, maxime si vir probus sit, & bonæ famæ, quotiescumque ille, qui Confessionis reuelationem eidem Sacerdoti obiicit, sit peccator, qui ei confessus est; cum de nullo, maxime de Sacerdote, præsumendum sit malum sine probatione, ob reuerentiam Sacramenti (ne scilicet temerè credatur sigillum ipsius fractum) nisi id, quod obiicitur, sit dictum, aut factum ab eodem Confessario in pœnitentis, aut alterius detrimentum: sed Suarez *tom. 4. disp. 33. sect. 8. n. 4.* quem refert nouissimè Hieron. Roderic. *in compend. quæst. Regul. resol. 48. n. 35. vers. idem tradit*, concludit non posse super hoc dari certam regulam, sed ex qualitate peccati, & circumstantiis personarum, & publicatione delicti, præsumptionem esse sumendam. In tertio denique casu de tertio obiiciente Sacerdotem reuelasse Confessionem, est etiam resoluendum, quòd si ipse Sacerdos concedat se reuelasse, at habità licentià à pœnitente, tunc illi tertio in-eumbit onus probandi factam esse reuelationem sine pœnitentis licentia, cui oneri satisfacere censetur, si ostendat quòd idem Sacerdos simpliciter reuelauerit, aut se reuelasse dixerit pluribus, nihil addendo de habità reuelandi licentia; vide Henriq. *d. cap. 19. in fine*, Valer. Reginald. *d. lib. 3. num. 68.* Mascard. *d. concl. 1286.* Suarez *dicta disp. 33. in fine*, Fr. Emman. *quæst. Regul. tom. 2. quæst. 35. art. 1.* Martin. Delr. *disquisit. magic. libr. 6. capit. 1. sect. 1.* Farinac. *in praxi crimin. quæst. 51. à num. 112.* Aldrete *de relig. discipl. tuenda lib. 2. cap. 19. n. 6. cum seq.*

Parochus igitur Confessionale in Ecclesia

sia habere debet, vbi confitentes audiat, quod in loco aperto, & manifesto sit, non autem in sacellis, neque in angulis Ecclesiæ, vnde videri publicè non possit; id quod fit vt tollatur materia delinquendi: ob quam rationem etiam ipsum Confessionale habebit fenestram crate ferrea oclusam, ne pœnitentem videat, vt benè aduertit Vgolin. *de officio Episcop. cap. 15. §. 8. num. 14.*

60 Dum audit Parochus Confessiones, si secularis sit, superpelliceum, & stolam deferre tenetur, vt declarauit *Sacra Cardinalium Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium preposita in vna Albinganen. die 8. Nouembris 1588.* nisi fuerit Religiosus Societatis Iesu, qui superpelliceum deferre non tenetur, vt censuit eadem *S. Congregat. sub die 25. Aprilis 1586.*

61 Tenetur penes se habere transumptum Bullæ in Cœna Domini, nec non casus reseruatos sui Episcopi, illamque, & illos semel saltem in anno eius populo publicare curabit, vt commendatur in libro de Bononiensis Ecclesiæ administ. part. 3. vbi de Sacramento Pœnitentie, pagin. 112. in fine, me citato in hoc loco Lezana d. capit. 9. n. 34. & sub peccato mort. ad hoc eum obligari, post Vgolin. & Duard. resoluit Bonacin. *de censuris in Bulla, disp. 1. quest. 32. puncto 7. à n. 5.* præterea in administratione huius Sacramenti considerabit an pœnitentes sint censuris reseruatis irretiti, & iis præsertim, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini; nam tunc eos oportet ad Superiores remittere absoluendos; alioquin si illos absoluere præsumpserit, vltra nullitatem absolutionis, incurrer pœnas contentas in eadem Bulla, §. quod si fortè.

62 Quos autem libros moralis Theologiæ parochus apud se tenere debeat, enumerat posseuini. *d. tractat. de officio Curati, capit. 25.* vbi Andr. Victorel. in appendice aduertit, illum debere multis, iisque egregiis moralis Theologiæ libris bibliothecam suam instruere. non vt omnes inutili euoluat curiositate, sed vt, dum se offert occasio, res diligenter tractatas legere, varias Doctorum sententias, explicatasque rationes fuscipere valeat, & quo in vno Auctore non inuenit, in alio reperire possit. perlegere autem diligenter eos libros debet, qui in officio suo rectè, & ritè peragendo eum possunt instruere; illi autem sunt Testamentum vetus, & nouum, Catechismus Romanus, Tridentinum Concil. Constitutiones Diocesanae, & Prouinciales, Homiliz, seu sermones Sanctorum, ac etiam Theologorum insignium Summæ aliquæ, vt Syluestrina, aut Antonina, vel Nauarri; inter cæteros verò libros vtilissimi iudicantur Liber Pastoralis sancti Gregorij, & liber sancti Ioannis Chrysostomi de Sacerdotio, quod

Barbosa de Parocho. Pars II.

rum duorum librorum lectione assidua quantum proficere possit Parochus nulla ratione explicari valet.

Et rursus, ne Parochi in absoluendis pœnitentibus in aliquem errorem labantur, penes se habere debent non solum reservationem casuum Episcopalem, & Bullam Cœnæ Domini, sed sæpè sapius legere *Decretum Sacre Congregationis Episcoporum iussu Clementis VIII. editum*, cum suis declarationibus, tenoris vt infra.

64 *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita, iustis, & grauib. causis id exigentibus, ac de Sanctissimi Domini nostri Clementis Pape Octauiani speciali mandato, viue vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam secularibus, quam Regularibus per vniuersam Italiam extra Urbem degentibus, ad Confessiones audiendas probatis, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcumque aliarum quouis nomine nuncupentur, iubet, & precipit, ne quis eorū sub pretextu privilegiorum, indulgentiarum, aut facultatum, generaliter, vel specificè, scripto, aut viue vocis oraculo, vel per communicationē à Sede Apost. vel eius auctoritate, eorū Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus secularium, aut singularibus personis, seu aliis quomodocunque sub quibusvis tenoribus, formis, & clausulis etiam derogatoriis derogatoriis, ad cuiusvis, etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum seu confirmatarum, alicui cuiusvis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiæ, quam secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel aliis quomodocunque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusve successores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reseruandis; nec etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruauerunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi mortis articulo, seu cum noua, & speciali Sanctitatis sua, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reseruatos respectiue, impetrata in scriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat; sed, cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimisq. Iudices suos accedere consulant, sub pena contrasacientibus, tam secularibus quam Regularibus Sacerdotibus, excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum inhabilitatis, item audiendi Confessiones, & ad quacunque officia, Prelaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto absque ulla alia declaratione incurrenda; super quibus à nemi- ne, nisi à Romano Pontifice habitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo*

possit impartiri; Sanctitas enim sua (quatenus sit) facultates, & concessionem ipsas in hac parte uti cassas, & irritas haberi de cetero voluit, & vult, non obstantibus quibuscunque.

Præterea non erint penitentes absolutionem, si quam obtinebunt, contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris, & momenti. Et, ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reservandorum casuum competit, plurimum, quam opus sit reservatione, subditis, aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis Diocesis statu, & qualitate necessario reservandos esse indicaverint, reservent. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ, die 9. mensis Ianuarij, anni 1601.

Decreti suprapositi declaratio.

65 **C**um autem dubia quedam, ac difficultates circa eiusdem Decreti interpretationem, atque observationem emerfissent, eadem Congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatve locus relinqueretur, & ut clarius appareat, in quibus casibus vigore eiusdem Decreti reservatis, intelligatur prohibita absolutio; speciali mandato eiusdem sanctissimi Domini nostri Clem. PP. VIII. similiter viua vocis oraculo super ea re habito, ipsum Decretum ita moderatur, ac declarat; videlicet sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendendos casus, qui in Bulla die Cæne Domini legi consueverint contineri; ac præterea violationis immunitatis Ecclesiastica in terminis Constitutionis fel. rec. Gregor. XIV. quæ incipit, Cum aliàs nonnulli; Violationis clausura Momialium ad malum finem; Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem fel. rec. Greg. PP. XIII. incipien. Ad tollendum; Injuriarum violentas manus in Clericos, iuxta Canon. si quis suadente. 17. q. 4. ac iuris dispositionem; Simoniam realis scienter contractam, atque etiam confidentiam beneficiorum. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruant. In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem sacra Congregatio vult, & mandat dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere, ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam seculares, quàm Re-

gulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis, & facultatibus in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse iuxta eorum privilegia, indulta, & facultates & su ante idem Decretum receptas, & quæ sub aliis reuocationibus non comprehenduntur, tantum, & non aliàs, absolueri à casibus in præsentì declaratione non comprehensis; aliis verò Sacerdotibus huiusmodi privilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant; eadem Sacra Congregatio illos rursus magnopere admonendo censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & grauiorum criminum absolutionem sibi reseruent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat, in edificationem, non autem in destructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Penitentiae ministrorum coarctata potestate, Sanctæ Matris Ecclesiæ pia menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reseruent casus in Bulla die Cæne Domini legi consueverint contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos; facultatem verò, & licentiam absoluedi à casibus reservatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Ceterum, nequis Sacerdotum secularium, aut Regularium, sub prætextu quòd per primò dictum Decretum non fuerint sufficienter eorum specialibus privilegiis derogatum, eidem Decreto, ut præfertur, declarato, contrarietate audeat, Sanctitas sua Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis omnibus in fauorem quorumcunque Ordinum, seu Institutum Regularium, aut Sacerdotum tam secularium, quàm Regularium editis, necnon eorumdem Ordinum, seu Institutum, ac etiam Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum secularium, seu Regularium locorum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis etiam Magnæ, seu Bullæ aureæ, aut aliàs nuncupatis, eisdem Ordinibus, seu Institutis, ac etiam Ecclesiis, & Monasteriis, & secularibus seu Regularibus locis, aut personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac quibuscunque etiam derogatoriarum

gatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut aliis quomodolibet etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, presentibus pro expressis habens quoad ea, quæ presentibus aduersantur, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogat, contrariis quibuscunque non obstantibus. Romæ die 26. Nouembris 1602.

Aliud Decretum eiusdem Sacræ Congregationis de Sanctissimi Domini Nostri Pauli Papæ V. mandato editum.

contenta omnia confirmanda, atque innouanda operæ pretium duxit; prout per presentes confirmat, atque innouat, ab omnibusque Sacerdotibus tam secularibus, quàm Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, Congregationum, aut cuiusvis alterius Instituti, etiam necessario exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuolabiliter obseruari: ac insuper, ut nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscunque privilegiis, indultis, & facultatibus suffulti, ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reseruatis, tam ad forum contentiosum eorundem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, absolvere audeant, vel præsumant, vel eorum aliquis audeat, vel præsumat, sub eisdem censuris, & pœnis eo ipso, & absque alia declaratione incurrendis, mandatur, ac præcipitur. Non obstantibus omnibus, quæ idem Clem. VIII. in Decreto, & declaratione huiusmodi voluit non obstare. Dat. Romæ 7. Januarij anni 1617. me citato in loco isto refert Lezana in summ. quæst. Regular. c. 19. num. 15.

66 **Q**uoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, ac Regularium præposita, nuper accepit, quamplures Regulares tantum facultatis, seu privilegiij ab Apostolica Sede sibi concessum profiteri, ut etiam à casibus locorum Ordinariis in eorum Diocesis reseruatis, absque alia ipsorum Ordinariorum licentia, pœnitentes absolvere minime dubitent; nonnullosque alios in Decreto prohibitionis absolutionis à casibus Sedi Apostolicæ, vel locorum Ordinariis reseruatis die 9. Ianuarij anno millesimo sexcentesimo primo, felicitis recordationis Clementis PP. VIII. iussu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clemente Pontif. iubente die 26. Nouembris 1602. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinariis prædictis reseruatas, minime comprehensas asserere; unde fit, ut metus, quo homines à peccando coercantur, absolutionis facilitate exoleat. Ideo sacra eadem Congregatio de Sanctissimi Domini Nostri Pauli Papæ V. speciali mandato viua vocis oraculo desuper habito, Decretum huiusmodi, illiusque declarationem, necnon censuras, & pœnas, & in eis

67 Illud Regularibus aduertendum duxi, quòd licet præfatum Clementis VIII. decretum, quatenus illis aufert potestatem absoluedi à casibus Papæ, vel Episcopo reseruatis, pro sola Italia, non pro aliis Prouinciis fuisse factum, & publicatum videatur, & id asserant Fr. Emman. in addit. sum. tom. 4. cap. 118. n. 18. F. Ioann. de la Cruz in sua epitome, libr. 2. cap. 6. fol. 163. col. 2. vers. si arguas secundo, Suar. de Pœnit. disp. 30. sect. 3. n. 16. in fine Sanch. in præcepto Decalogi, tom. 1. lib. 2. cap. 13. num. 36. ad finem, Villalob. in sum. p. 1. tract. 9. diff. 62. Laur. de Portel. in dubiis Regular. verbo, Confessor erga seculares, n. 22. vers. at sicut, & verb. casus reseruati num. 6. Tamen hodie contrarium est tenendum, prout in sequenti declaratione. Sacra Congr. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita cœsit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apost. post Concil. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse privilegia per prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluedi à casibus contentis in Bulla, quæ in diē Cæne Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisuisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra

Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolueri ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci referuatis; at si secus egerint, absolutiones nullas a que irritas fore, & esse. Ab aliis vero casibus, & censuris, si quidem Regulares habent à Sede Apostol. absolueri facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse, iisdem Sacra Congreg. Decretis hac de re editis iussu S. mem. Clem. VIII. Quam S. Congreg. sententiam Sanctitas sua ad se relata approbavit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ 17. Nouembris 1628. Fr. A. Cardin. S. Honufrij. P. Fagnanus Secret.

CAPVT XX.

De Sacra Communionis dispensatione per Parochos facienda.

SUMMARIVM.

- 1 Sacerdotibus quibuscunque ex Christi institutione competit ordinaria potestas administrandi Sacram Eucharistiam Christiano populo.
- 2 Sacerdotes licitè non administrant Sacram Eucharistiam nisi habeant ordinariam, vel delegatam iurisdictionem ad hoc Sacramentum administrandum, excepto necessitatis casu.
- 3 Diaconus absente Sacerdote, in casu necessitatis, Sacram Communionem deferre poterit.
- 4 Diaconi iam hodie ex usu, & consuetudine Ecclesie, & ob Sacerdotum copiam nullo modo administrare possunt Sacram Eucharistiam, nisi existente grauissima causa, & interueniente urgente necessitate.
- 5 Excommunicatus non potest distribuere Eucharistiam, nec eam deferre ad infirmos.
- 6 Sacerdos simplex de licentia Parochi licitè valet Sacramentum Eucharistie in Ecclesia Parochiali ministrare, etiamsi ab Episcopo non sit expositus ad Sacramenta ministranda.
- 7 Regulares, qui Sacram Communionem sine Parochi speciali licentia ipsius subditis ministrare præsumpserint, excommunicationis incurrunt sententiam ipso facto, per Sedem Apost. dumtaxat absolueri.
- 8 Regulares obtinent priuilegia post Clem. 1. de priuilegiis, ut non requisita licentia Parochi omnibus Christi fidelibus Sacram Eucharistiam in suis Ecclesiis per se, vel per alios Sacerdotes seculares in illis ministrantes, administrare possint.
- 9 Religiosi, qui in partibus Indiarum de licentia Hispaniarum Regum Sacramentum Eucharistie administrant, nullo modo incidunt in excommunicationem. Clem. 1. de priuilegiis.
- 10 Religiosi vigore suorum privilegiorum an possint sine Parochi licentia administrare populo Sanctissimam Eucharistiam? ostenditur.
- 11 Sacerdotes Regulares tempore Paschatis non possunt ministrare Eucharistiam secularibus, ut adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis.
- 12 Parochiani satisfaciunt præcepto annuæ Communionis si communicarent in Ecclesia Cathedrali, vel Episcopum adirent pro huiusmodi Sacramento suscipiendo.
- 13 Parochus suis subditis Eucharistiam ministrare debet, quando illi ex obligatione communicare debent.
- 14 Præcepto annuæ Communionis quo tempore satisfieri possit? ostenditur.
- 15 Parochus tenetur Eucharistiam ministrare quoties p[er] subditi eam rationabiliter petunt.
- 16 Eucharistia in die Parasceues non est distribuenda aliis quàm infirmis.
- 17 Parochus Eucharistiam ministrans in peccato mortali an peccet mortaliter? ostenditur.
- 18 Præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis obligat omnes fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis peruenerint.
- 19 Parochus communicare non potest perpetuè, & absolute, fatuos, sed tantum semifatuos, & non continuè amentes, tempore, quo habent dilucida intervalla.
- 20 Peccatoribus notoriis Eucharistia administranda non est.
- 21 Peccator notorius dicitur, qui manifestus est, vel per sententiam, vel per confessionem factam in iudicio, aut per euidentiā rei quæ nulla tergiversatione celari potest.
- 22 Peccatores occultos à Communionem, quàm petunt, repellere non potest Parochus, licet ipsis in Confessione absolutionem non dederit.
- 23 Viatores Eucharistiam sumere valent in ea Parochia, in qua tempore Paschatis reperiuntur.
- 24 Parochus, qui Missa sacrum non fecit, sibi ipsi potest Eucharistiam ministrare.
- 25 Laicus non potest Eucharistiam per se sumere, nisi in necessitate extrema mortis, & in absentia Sacerdotis.
- 26 Sacerdotes quando communicant an teneantur induere stolam?
- 27 Eucharistiam pro communicandis infirmis debet Parochus sub fidei custodia, & in loco decenti conservare.
- 28 Pyxides due in Sacratio tenendæ, quarum una conseruetur sanctissimum Sacramentum, in altera deferatur ad infirmos.
- 29 Lampas ante sanctissimam Eucharistiam noctu, diuque ardere debet.
- 30 Parochus tenetur ad manutenendum oleum lampadis sanctissimi Sacramenti, sed obseruari